



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. Vtrum relatio terminetur ad absolutum, vel ad respectivum
formaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quaest. IV. Vtrum terminus relationis, & c. 745

corporibus se tangentibus, in quibus resultat illa relatio, habendo pro ratione fundandi approximationem in loco, & pro fundamento quantitatem &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum relatio terminetur ad absolutum, vel ad respectivum formaliter?

SECTIO I.

Sententia adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit, omnes relationes mutuas terminari ad relativum formaliter, sic Ferrata, Nyphus, Dese Hifpalensis in 1. distinct. 3. quaest. 1. notab. 3. quos sequitur, & citat P. Rubius in Log. quaest. 7. de Adaliquid, num. 64.

Probatur primo, quia oppositio relativa reperitur inter relativa ut relativa sunt formaliter: ergo mutua relatio includit essentialiter mutua oppositionem relativam: sed mutua oppositio relativa essentialiter includit utramque rationem referendi, & terminandi: ergo utrumque officium exercent relativa per relationes, & non per fundamenta absoluta: omnia constant evidenter, praeter minorem quam non minus evidenter probat, inquit Rubius: mutua oppositio consistit in hoc, quod relativa mutuo se respiciant, & relationes sint rationes mutuo se respiciendi; sed mutuo se respicere est quodlibet respicere aliud, & ab eo respici, & ab eo respici est terminare relationem eius: ergo evidens est, quod in mutua oppositione includatur essentialiter utrumque officium referendi, & terminandi, & ex consequenti quod utrumque exercent relativa per relationes, & non per fundamenta, quia per relationes, & non per fundamenta habent formalem oppositionem.

Praeterea sic videtur: relationes divinae non terminantur ad absolutum, sed ad respectivum: ergo etiam relationes creatae. Antecedens est evidens: nam paternitas terminatur ad terminum a se realiter distinctum, quia eiusdem ad se ipsum nulla datur relatio; sed in divinis nihil absolutum distinguitur realiter a relationibus, nisi altera opposita relatio: ergo in divinis nihil absolutum est terminus relationis, nisi altera relatio opposita: consequentia praecipua sic probatur: quia eadem datur ratio in relationibus divinis, ac datur in creatis quantum pertinet ad rationem referendi, & terminandi: ergo etiam relationes creatae terminantur ad relativum, & non ad absolutum.

Dices, magnum esse discrimen inter relationes creatas, & increatas; nam relationes divinae, quia sunt substantiales, ac substantiales, non habent aliud fundamentum praeter se ipsas, per quod possit unum relativum terminare relationem alterius; relationes vero creatae sunt accidentales, & ideo praesupponunt aliud accidens absolutum, tanquam fundamentum quo medio consurgunt, & per tale fundamentum potest unum relativum terminare alterum.

Sed nec differentia haec aliquid valet, quod ita probat, quia relationem esse subsistentem, aut inhaerentem, seu substantialem, aut accidentalem non pertinet ad rationem formalem relationis, aut relativam sed materiale quid est: relationes vero, aut relativa mutua ex ratione formali talium relationum, & relativorum habent mutuam oppositionem formaliter includentem utramque rationem referendi, & terminandi, quae eadem est in divinis, & creatis: ergo eadem erit ratio terminandi in utrisque; sicut eadem est ratio referendi, quare si ad relativum formaliter terminatur divina, & non ad absolutum, etiam terminabuntur creatae.

Secundo, relationes essentialiter sunt rationes referendi: ergo mutuae relationes mutuo se respiciunt: ergo mutuo se terminant. Probatur consequentia: quia non est intelligibile, quod una respiciat alteram, quin ab ea terminetur: ergo non est intelligibile, quod mutuo se respiciant, quin mutuo se terminent; sed nihil habent absolutum, ergo ratio formalis terminandi in eis non est absolutum, sed relativum.

Secunda sententia asserit, omnes relationes mutuas terminari ad absolutum formaliter, & non ad respectivum: ita sentit P. Suarez in metaphys. dist. 47. sect. 16. num. 14. & multi alij, ut Scotus in 1. quem sequuntur omnes Scotistae; ex Thomistis defendunt hanc sententiam Capreolus, & Zonzinas, probatur.

Primo, nam in relationibus non mutuis, videmus relationem unius extremi non terminati formaliter ad relationem alterius: ergo licet in relativis mutuis sit relatio realis in utroque extremo una non tendet in aliam formaliter, sed simul & concomitanter una tendet in subiectum, seu fundamentum alterius, & e converso: probatur haec consequentia, nam si per impossibile in altero extremo impediretur relatio, conservato toto fundamento eius, nihilominus relatio alterius extremi posset ad aliud terminari: ergo signum est, illas duas relationes esse simul per concomitantiam, & non per formalem terminationem unius ad aliam: consequentia est evidens, & antecedens patet: nam quando unum extremum tale est ut non possit fundare relationem, nihilominus est aptum ad terminandum relationem alterius, ut patet in Deo terminante relationem creaturam ut sic, & nullam praedicamentalem fundante: ergo quacunque ratione contingerit, alterum extremum manere cum fundamento, in quo datur opposita relatio, etiam si in se non habeat relationem, nihilominus manebit sufficiens ad terminandam relationem alterius: unde si per intellectus praecisionem separaretur relatio a tali extremo, intelligetur manere aequae sufficiens ad terminandam aliam relationem.

Secundo, quia aut relatio in quantum relatio postulat terminum relativum, aut in quantum relatio mutua; sed neutro modo potest postulare talem terminum: ergo non terminatur per se ad relativum, sed per accidens, & ideo ad absolutum per se. Probatur minor, quod non ut relatio, nam si ut relatio peteret terminum relativum, omnis relatio deberet illum habere, & nulla poterit terminari ad absolutum, sed relationes tertij generis terminantur omnes ad absolutum, ut manifestum est: ergo relatio, ut relatio non petit terminum relativum; quod autem cum non petat ut relatio mutua probatur, quia relatio non dicitur mutua

mutua per rationem terminandi, sed per rationem referendi, quia utrumque extremum refertur ad aliud: ergo non est necessarium ut relatio sit mutua, quod sit ratio terminandi, sed satis est esse rationem referendi in utroque extremo, quod verum esse potest, etiam si absolutum terminetur.

- 10 Tertio, si unum relativum terminaretur ad alterum, etiam ut relativum, sequeretur non posse unum cognosci, aut definiri nisi per alterum, quia non potest cognosci, neque definiri relativum, nisi per terminum; sed consequens est falsum: ergo & antecedens: probatur minor, quia loco nominis in definitione positi licet ponere suam definitionem, ut loco animalis positi in definitione hominis licet ponere vivens sensibile, quæ est eius definitio, dicereque homo est vivens sensibile rationale: ergo si Pater definitur per filium, dicemus Pater est, qui habet filium, & tunc loco filii licebit ponere definitionem eius quæ talis erit: filius est qui habet patrem, & ita definitio Patris erit, Pater est qui genuit eum, qui habet Patrem; in qua tria vitia committuntur; primum negationis, seu inutilis repetitionis, quia Pater ipse qui definitur in definitione repetitur; secundum est, quod ignotum per ignotius definiatur; nam dum Patrem definimus per filium, non solum æque ignotus est filius; sed minus notus; cum nihil de eo possumus cognoscere nisi per Patrem. Tertium, vitiosus quidam circulus, nam unum relativum definitur per alterum, & hoc idem per illud, quod est definire idem per semetipsum: nam si Pater definitur per filium, & rursus filius per Patrem à primo ad ultimum definiatur Pater per se ipsum; quod est contra Aristotelem 5. lib. met. c. 13. & 1. lib. de post. resolut. c. 3.

- 11 Tertia sententia asserit in omnibus relationibus, tam mutuis, quam non mutuis formalem terminum debere esse relativum, ita Caiet. 1. p. q. 13. art. 7. Hispanensis in 1. dist. 30. q. 1. notab. 3. quos sequitur Pater Fonseca in metaphys.

- 12 Duobus modis explicatur hæc sententia, primo à Caietano, qui ait, in relationibus non mutuis unum extremum esse relativum formaliter per relationem in se ipso intrinsece, & formaliter existentem; aliud vero non per relationem sibi inhaerentem intrinsece, sed per relationem existentem in alio; v. g. scientia, quæ mensurabilis dicitur refertur per relationem sibi inhaerentem ad obiectum, tanquam ad mensuram; obiectum vero, quod mensura dicitur, refertur ad scientiam non per relationem sibi inhaerentem: sed per eandem relationem existentem in scientia; sicut Deus refertur ad creaturam, non per relationem existentem in ipso: sed per relationem existentem in creatura.

- 13 Probat ex Arist. 5. met. c. 15. hic modus Caietani, nam Philosophus expresse asserit in relativis tertij generis, quæ sunt mensura, & mensurabile unum referri per relationem, quam in se habet, alterum vero per relationem, qua aliud refertur ad ipsum.

- 14 Secundo modo explicatur à Fonseca, qui asserit; extremum illud in quo non est relatio realis terminare relationem realem alterius extremi, non per eandem illius relationem; sed per relationem propriam, non realem; sed rationis, quia ut ipse inquit eo ipso quod scientia refertur per relationem realem mensurabilis ad obiectum, acquirit obiectum novam commensurationem, &

correspondentiam cum illa ratione, cuius commensurationis debita est ei denominatio relativa mensuræ, & cum non possit eam habere realem, habebit eam per rationem

SVBSECTIO II.

Nostri prima conclusio proponitur, & probatur ratione prima.

Prima conclusio: aliquæ relationes mutue terminantur ad relativum formaliter.

Ut intelligatur hæc conclusio, adverte Petrum quatenus est substantia absoluta, v. g. dicere relationem identitatis ad substantiam absolutam Pauli, quam relationem etiam dicit, quatenus est homo, ex eo quod Petrus, & Paulus sint eiusdem speciei; itaque in substantia, & essentia Petri dantur duo (sive ratione, sive à parte rei distincta) absolutum nimirum esse hominis, & relatio identitatis ad Paulum; sicut in ipso Paulo datur, & esse hominis absolutum, & alia similis, aut eiusdem rationis relatio; per quam Paulus refertur ad Petrum propter convenientiam, quam habent in esse hominis; quo posito sic argumentor.

Primo, quia Petrus, v. g. ex eo quod sit eiusdem speciei cum essentia Pauli, dicit relationem identitatis ad substantiam Pauli; sed substantia Petri quatenus est esse absolutum hominis non est eiusdem speciei; sed potius diversæ rationis respectu relationis identitatis, quæ est in Paulo, per quam refertur Pauli substantia ad substantiam Petri; ergo licet Petrus referatur per relationem identitatis, & similitudinis ad substantiam Pauli, nihilominus dicit relationem diversitatis, & disconvenientiam; per eamque refertur substantia absoluta hominis Petri formaliter ad relationem identitatis, quæ est in Paulo: maior est evidens, ut ex se patet.

Minor est clara; nam ea quæ sunt diversorum prædicamentorum non sunt similia: sed potius diversæ rationis, ut verbi gratia substantia, quantitas, qualitas, & relatio non similia in essentialibus: sed potius dissimilia sunt, & diversæ rationis, quia ad diversa prædicamenta pertinent; item substantia absoluta, & modus accidentalis sunt diversæ rationis, & non sunt similes in essentia; atque substantia, & essentia absoluta Petri, & relatio quæ datur in substantia Pauli pertinent ad diversa prædicamenta, quia illud ad prædicamentum substantiæ, hoc ad prædicamentum relationis, quæ est modus accidentalis, pertinet: ergo substantia, & essentia absoluta Petri non est similis, sed potius diversæ rationis cum relatione identitatis, quæ est in substantia Pauli.

Prima consequentia sic demonstratur, quia 19 omne quod est dissimile, disconveniens, & diversæ rationis respectu alicuius refertur ad illud per relationem dissimilitudinis, & disconvenientiæ; sed essentia absoluta Petri quatenus homo, est dissimilis, disconveniens, & diversæ rationis respectu relationis identitatis, quæ est in substantia, & Paulo, ut nuper probavi: ergo substantia, & essentia absoluta Petri quatenus homo est, refertur ad relationem identitatis, quæ est in Paulo per relationem dissimilitudinis, & disconvenientiæ. Itaque sine dubio in Petro datur duplex relatio

Quæst IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 747

relatio, alia identitatis, & similitudinis ad substantiam Pauli; & ad ipsum Paulum quatenus homo est eiusdem speciei cum ipso Petro, alia dissimilitudinis, diversitatis, & disconvenientiæ, non ad substantiam, & essentiam Pauli quatenus est homo, sed ad relationem identitatis, quæ est in Paulo.

10 Confirmatur, ideo substantia Petri refertur formaliter per relationem disconvenientiæ, dissimilitudinis, & diversitatis ad actionem, quæ oritur à Paulo ad figuram, ad ubi, situm, &c. quia substantia Petri ex eo quod substantia sit, est dissimilis, disconveniens, & diversæ rationis ab illis entitatibus, quia modi accidentales sunt sed etiam relatio identitatis, quæ est in substantia Pauli, est modus accidentalis, & entitas Petri est substantia: ergo entitas Petri est dissimilis, disconveniens, & diversæ rationis ab illa relatione identitatis, quæ est in Paulo: ergo substantia Petri refertur ad relationem identitatis, quæ est in Paulo per relationem dissimilitudinis, disconvenientiæ, & diversitatis. Item quia non solum substantia Petri est diversæ rationis, & dissimilis relationi identitatis, quæ est in Paulo, quia illa est substantia, & hæc accidens, illa res, hæc modus, sed etiam quia substantia Petri est entitas absoluta, & relatio identitatis, quæ est in Paulo, est respectus formaliter: absolutum enim, & respectivum formaliter sunt dissimilia, disconvenientia, & diversæ rationis habentem; illa enim quorum unum habet unam rationem, & aliud non habet illam, sed diversam, sunt dissimilia, & disconvenientia: v. g. paries, qui habet albedinem, est dissimilis aut disconveniens parieti habenti ceruleum, aut viridem colorem; sed entitas absoluta Petri non habet in se rationem respectus formaliter, quia ipsa substantia Petri non est relatio formaliter; relatio autem identitatis, quæ est in Paulo, essentialiter est respectus, & ordo: ergo substantia Petri distinguitur essentialiter à relatione identitatis, quæ est in Paulo: ergo sunt dissimilia in essentijs, disconvenientia, & diversæ rationis: ergo talis substantia refertur relatione dissimilitudinis, & diversitatis ad relationem identitatis, quæ est in Paulo, quia non est maior ratio quare substantia Petri refertur relatione diversitatis ad alios modos, qui sunt in Paulo, & non refertur ad relationem identitatis, quæ est etiam modus; imo ut iam dixi, maior ratio datur ad talem relationem respectu identitatis, quam respectu aliorum modorum absolutorum.

11 A priori sic probatur, quia substantia Pauli quando non existeret Paulus, & relatio identitatis in ipso, neque referebatur ad substantiam Pauli per relationem similitudinis, quia non existente Paulo non erat similis illi, neque erat dissimilis, aut diversus relationi identitatis, quæ est in Paulo, & existente de novo substantia Pauli, item de novo existente relatione identitatis illius, substantia Petri est similis, & conveniens cum substantia Pauli, & est dissimilis, & disconveniens cum relatione identitatis existente in Paulo, & quia conceptus similis est relativus ex eo quod sit ad aliud, & non ad se, nihil enim respectu sui ipsius est simile, sine dubio per relationem similitudinis refertur ad substantiam Pauli.

12 Sed sine dubio in omnium sententia conceptus R. P. Ideph. de Peñaſiel Theol. Schol. Tom. I.

dissimilis, disconvenientis, & diversi est ad aliud, quia nihil respectu sui ipsius est diversum, dissimile, & disconveniens: ergo relativus formaliter; sed quidquid est relativum formaliter refertur per relationem ad illud, respectu cuius est relativum: ergo conceptus diversi, dissimilis, & disconvenientis refertur per relationem disconvenientiæ, dissimilitudinis, & diversitatis formaliter ad illud, respectu cuius est dissimilis, & diversus, sed substantia Petri quatenus substantia absoluta est, & quatenus homo essentialiter est diversa, dissimilis, & disconveniens cum relatione identitatis, quæ est in Paulo, quia est accidens, modus, & relatio: ergo substantia Petri refertur formaliter per relationem dissimilitudinis, disconvenientiæ, & diversitatis ad relationem, seu respectum identitatis quæ est in Paulo. Tunc sic, illud ad quod alterum refertur formaliter per relationem, est terminus formalis illius relationis; v. g. ideo nigredo est terminus formalis relationis dissimilitudinis in albedine existentis, quia albedo refertur formaliter per illam relationem dissimilitudinis ad nigredinem: sicut brutum, aut irrationale est terminus formalis relationis disconvenientiæ, aut diversitatis, quæ est in rationali, quia rationale refertur per talem relationem formaliter ad brutum; sed substantia Petri refertur formaliter per relationem disconvenientiæ, & diversitatis ad relationem identitatis, quæ est in Paulo; sicut refertur per relationem similitudinis, & convenientiæ ad substantiam ipsam Pauli: ergo relatio identitatis quæ est in Paulo, est terminus formalis relationis disconvenientiæ, per quam refertur Petrus ad talem relationem, sicut ipsa substantia Pauli est terminus formalis relationis convenientiæ, & identitatis per quam refertur substantia Petri ad talem substantiam Pauli.

Ratio à priori ab omnibusque recepta horum omnium est, quia illa est ratio terminandi formaliter, seu quæ terminat formaliter in aliquo, per quam redditur proxima causa, ob quam res est talis, ut ad ipsam alia referri possit: sicut illa est ratio fundandi formaliter, per quam redditur convenienter proxima causa, ob quam talis res habet relationem ad aliam, & respicit illam; sed proxima causa, ob quam ad Petrum refertur Paulus per relationem diversitatis, & Petrus ad Paulum per relationem disconvenientiæ est relatio, quæ datur in Paulo, quia si non esset illa relatio, non referretur relatione diversitatis Petrus ad Paulum; sicut tota causa, quare referatur Petrus ad Paulum, est substantia ipsa Pauli per relationem similitudinis, & identitatis: ergo relatio existens in paulo est terminus formalis relationis diversitatis existentis in petro: sicut è contra substantia ipsa pauli est terminus formalis relationis similitudinis, & identitatis per quam refertur petrus ad paulum.

SVBSECTIO I.

Aliqua solutiones Adversariorum refutantur.

Dices, relationem identitatis existentem in paulo materialiter, & non formaliter quatenus relatio est, esse terminum relationis disconvenientiæ

A a a a a venientiæ

venientie existentis in Petro, si autem queratur a te, quare talis relatio identitatis, quatenus relatio formaliter non sit terminus relationis diversitatis, per quam refertur Petrus ad Paulum: respondes, quia terminare formaliter non est actu refertur in tali relatione.

25 Contra: ergo genitum in tua sententia non est formaliter terminus paternitatis: sed hoc est falsum: ergo illud, ex quo sequitur; illud antecedens sic patet, quia non est idem esse genitum, & actu terminare paternitatem, nam esse genitum est esse substantiale intrinsecum productum à Patre constitutum in esse geniti per generationem effluentem à Patre efficientem intrinsece illud esse Petri geniti.

26 Et esse actu terminum seu actu terminare in genito relationem prædicamentalem paternitatis est denominatio extrinseca accidentalis proveniens in genere cause formalis extrinsece ab ipsa relatione paternitatis, quæ terminatur ad ipsam; sed esse intrinsecum substantiale productum in Petro non est denominatio extrinseca à relatione.

27 Quod sic evidenter demonstratur: nam esse genitum substantiale præsupponitur ad ipsam relationem paternitatis, quia postis generante, & genito resultat relatio paternitatis in Patre; unde genitum est causa ut resultet relatio paternitatis in generante; causa autem est prior natura suo effectui; sed actu terminare in genito relationem paternitatis nullo modo præsupponitur ad relationem paternitatis: sed potius subsequitur ad illam, quia est effectus formalis extrinsecus illius, & ideo est vera hæc causalis, ideo genitum terminat actu relationem paternitatis, quia actu Pater refertur per illam ad genitum: ergo esse genitum, & actu terminare non sunt idem formaliter: ergo esse genitum in tua sententia non erit terminus formalis paternitatis; atqui est verum, & formaliter terminus illius: ergo falsum est dicere, ideo paternitatem non esse formaliter terminum, quia relatio identitatis existentis in Paulo non est ipsum actu terminare: unde falsa est solutio adversariorum.

28 Secundo contra evidenter, quia quando querimus, Vtrum una relatio sit terminus formalis, non querimus, ut optime ait P. Suarez de formali denominatione termini, ut actu terminantis; sed de ratione, seu forma quæ in ipsa re, quæ est terminus requiritur, ut sit apta ad terminandum: nam sub priori ratione esse terminum, seu terminare, non est aliquid intrinsecum in re terminante: sed ut iam dixi, est denominatio extrinseca sumpta ex eo quod aliud tendat in ipsam; sicut parietem esse visum est denominatio extrinseca in ipso à visione: nam idem est videri, quod actu terminare visionem, nihilominus tamen prærequiritur in pariete aliqua forma, qua constituitur aptus ad terminandam visionem; sic ergo intelligendum est de termino relationis, dicetur enim actu terminare solum, quia respicitur ad relationem, sed consequens ad illam: unde ad questionis titulum, & ad dubium præsens est per accidens, superflua, & impertinens, cum hic solum interrogemus de termino antecedente ad relationem; ex cuius positione posterioritate nature resultat relatio, in quo omnes conveniunt: (unde etiam impertinens, & per acci-

dens est ad questionem, Vtrum distinguatur vel non, actu terminare ab actu refertur in eadem relatione) necessario vero supponitur in termino aliqua ratio, & quasi causa formalis, ob quam est terminativus relationis, quia non omne ens potest terminare quancunque relationem: ergo in vnoquoque requiritur propria aliqua ratio, ob quam est natum terminare hanc, vel illam relationem; hanc ergo rationem terminandi in præfenti inquirimus, quæ sine dubio est relatio identitatis formaliter, quia ipsa ex eo quod sit modus relativus formaliter potest terminare relationem diversitatis, quæ est in substantia Petri, quatenus talis substantia est absoluta formaliter; unde ratio terminativa, de qua loquimur, non est actualis terminatio, cum illa ratio sit entitas intrinseca, & hæc sit denominatio extrinseca: ergo non recte procedit adversarius, dum ait, ideo relationem non esse terminum formaliter, quia actu terminare, non est actu refertur formaliter; sicut male diceret qui affirmaret albedinem non esse terminum formalem similitudinis alterius albedinis, quia esse albedinis, & actu terminare non sunt idem: unde si hæc responsio nullo modo recta similiter erit mala hæc, quam tribunt adversarii, quia certe procedit ex ignorantia tituli questionis, nam in hac questione solum queritur, Vtrum sicut ens absolutum per suam entitatem terminat relationem alterius, & est id ad quod alterum per relationem refertur, ita detur aliqua relatio, quæ per suam entitatem modalem relativam sit id, ad quod aliud refertur per relationem; nos autem dicimus dati talem relationem, quia relatio identitatis, quæ est in Paulo, per suam entitatem modalem respectivam terminat relationem diversitatis, quæ est in Petro, quia est id per suam entitatem relativam, quod respicit Petrus, & ad quod refertur substantia absoluta Petri per relationem diversitatis, & disconvenientiam; quia Petrus quatenus substantia est dissimilis, & diversus, aut disconveniens à relatione identitatis, quæ est in Paulo formaliter, quia talis relatio est modus accidentaliter, saltem prædicamentaliter quod est certissimum, ac verissimum, ac proinde falsa est, & nullius momenti evasio adversariorum.

Tertio evidentiarius sic demonstro, quia certum est apud omnes adversarios in divinis vnam relationem esse terminum formalem alterius; atqui non sunt idem formaliter in relatione divina, hæc munera nimirum actu terminare alteram relationem, & refertur ad illam, quia terminare est quasi denominatio extrinseca proveniens ab altera relatione, & refertur in intrinsecum in ipsa relatione, in paternitate enim terminare actu relationem filij provenit à relatione filiationis quasi extrinsece formaliter; refertur autem paternitatem ad filium non provenit extrinsece à relatione filiationis: sed est intrinseca personalitas Patris: ergo licet in relatione identitatis, quæ est in Paulo non sint idem formaliter actu terminare, & refertur bene poterit relatio identitatis quatenus relatio formaliter esse terminus alterius relationis.

Urgeo amplius, quia nulli dubium est, distinguimus formaliter actu refertur, & actu terminare, & ideo omnes hoc supponunt tanquam certum, & nihilominus gravissime inter Doctores con-

Quaest. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 749

trovertitur an terminus formalis relationis sit respectivum, vel absolutum: ergo non in hac solutione, sed in alio vertitur cardo huius quaestionis, alias nulla daretur quaestio, sed potius funditus tolleretur dubitatio illius: ergo inepte procedant adversarii hanc solutionem tribuentes.

Pauli, talis relatio esset sine termino formaliter: sed hoc est summum absurdum, & impossibile: ergo illa relatio habet pro termino formali relationem identitatis; minor est certa, quia omnis relatio petit necessario terminum formalem, & relatio praedicamentalis petit terminum actu existentem formalem, quia nisi positus termino, & fundamento non resultat relatio praedicamentalis.

Maiores sic demonstratur primo, quia in substantia Pauli datur entitas absoluta illius, & relatio identitatis solum (ad quod supponamus, sive naturaliter, sive supernaturaliter destrui omnia accidentia, & modos, quae sunt in Paulo, praeter substantiam, & relationem identitatis: sed entitas, & substantia absoluta Pauli non potest terminare formaliter relationem disconvenientiae, quae existit in Petro, quia ut supra diximus, entitas substantialis absoluta Pauli est terminus formalis relationis identitatis, & convenientiae, quam dicit Petrus ad Paulum: ergo non potest esse eadem simul terminus disconvenientiae, & dissimilitudinis, alias quod est conveniens alteri sub eadem ratione formali, quae convenit cum altero, disconveniret cum ipso & non conveniret: unde idem respectu eiusdem conveniret, & non conveniret sub eadem ratione, & sic idem esset capax duarum contradictoriarum quae simul essent verae, & sic idem esset, & non esset simul contra primum, & evidentissimum omnium principium: sed entitas substantialis absoluta Pauli sub ratione absoluta substantiali convenit cum entitate absoluta substantiali Petri: ergo sub eadem ratione non potest disconvenire, aut non convenire cum ipsa: ergo non potest entitas Pauli substantialis, & absoluta terminare relationem disconvenientiae, & diversitatis, quam dicit substantia Petri.

Atqui in ipsa substantia Pauli non est aliud, quod possit terminare talem disconvenientiam, nisi relatio identitatis, quae est in ipso: ergo illa est terminus formalis relationis disconvenientiae, quae datur in Petro: sed per vos terminus relationis disconvenientiae non est talis relatio identitatis: ergo nullus est terminus talis relationis; patet haec consequentia, quia in Paulo solum dantur duo, & nihil amplius praeter illa, ut supponimus; sed substantia nullo modo potest esse terminus relationis disconvenientiae, ut probatum est, & relatio identitatis per vos non est terminus formalis illius: ergo nihil est, quod possit esse terminus talis relationis: ergo talis relatio existit sine termino formali.

Secundo sic demonstratur eadem maior, quia licet substantia Petri habeat relationes diversitatis ad accidentia, & modos omnes, qui existunt absoluti in Paulo, per quas constituitur in esse diversi formaliter, non solum habet illas relationes diversitatis ad omnes relationes, quae reperiuntur in Paulo; quia non solum substantia absoluta Petri est dissimilis, disconveniens, & diversa ab accidentibus, & modis absolutis quae sunt in Paulo, sed etiam a modis relativis, quatenus talibus, qui existunt in Paulo, quia absolutum in quantum absolutum, dissimile, & diversum est formaliter a modo relativo in quantum relativus est formaliter: sed id, ad quod aliud dicit relationem formaliter est terminus formalis illius relationis: ergo non solum modi absoluti, & accidentia, quae existunt

A a a a 2 in

31 Quarto iterum sic impugno a priori adversarios, quia in tantum est terminus relationis disconvenientiae quae datur in Petro relatio identitatis, quae existit in Paulo, in quantum substantia Petri non convenit cum tali relatione identitatis in ratione absoluti substantialis: sed in tantum non convenit cum identitate in illa ratione in quantum est relatio formaliter: ergo in tantum identitas est terminus relationis disconvenientiae, quae est in Petro, in quantum est relatio formaliter. Maiores sic probatur. In tantum rationale est terminus formalis relationis disconvenientiae, quam dicit brutum ad ipsum, in quantum rationale non convenit cum brutum in ratione principij discursus, quia adaequata ratio, & causa relationis diversitatis est non convenientia duorum: ita illa, quae fuerint non convenientia formaliter, sine terminis, & fundamentum relationis diversitatis. Minor sic probatur, in tantum relatio identitatis non convenit cum entitate absoluta Petri sub ratione absoluta, in quantum repugnat illi talis ratio absoluta, & est incapax habendi illam: sed in tantum illi repugnat, & est incapax illius, in quantum est relatio formaliter: ergo. Maiores sic probatur, & equus, & homo disconveniunt, seu non conveniunt in ratione rationalis, quia equo in quantum tali repugnat rationalitas, quae convenit homini; sed relationi quatenus tali formaliter repugnat esse absolutum substantiale: ergo in tantum disconvenit relatio identitatis cum substantia Petri in esse absoluto, in quantum relationi repugnat esse absolutum substantiale, quod est in Petro.

32 Minor probatur, quia relatio nihil aliud est, quam ens accidentale, modale, respectivum formaliter; sed non repugnat illi esse absolutum ratione entis, aut accidentis aut modi, cum vbi, & actio sint entia accidentalia modalia, & nihilominus sunt absoluta: ergo ratio absoluti repugnat illi solum ratione ultimi praedicati, respectivi nimirum formaliter, sicut esse inhilabile non repugnat homini formaliter ratione entis per se, & animalis, alias etiam equo, qui est ens per se animal repugnaret inhilabilitas, quod est falsum: unde repugnat inhilabile homini propter aliam rationem, quae est in equo, & repugnat homini: ergo similiter relationi, quatenus tali repugnabit esse absolutum: ergo relatio, ut relatio formaliter, & quatenus talis, est disconveniens cum entitate absoluta Petri, vbi, & caeterorum entium absolutorum siue substantiarum, siue accidentium: ergo relatio identitatis quae est in Paulo respectu Petri, & quae est in vno vbi respectu alterius, quatenus relatio formaliter terminat relationem disconvenientiae, quam dicit Petrus ad talem relationem, & vbi, & caetera: ergo iam una relatio est terminus formalis alterius.

33 Ultimo sic argumentor contra illam solutionem, quia si relatio disconvenientiae vel dissimilitudinis, de qua loquimur, quae existit in substantia Petri, non haberet pro termino formali relationem identitatis quae datur in substantia

R. P. Alph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

in Paulo sunt termini formales relationis diversitatis, & disconvenientiae quæ existit in Petro, sed etiam modi relativi quatenus relativi sunt formaliter; sed relatio identitatis, quæ est in Paulo est modus relativus quatenus relativus est formaliter: ergo refertur ad illum formaliter substantia Petri relatione diversitatis, quia substantia Petri, quatenus absoluta differt à relatione identitatis, quæ est in Paulo, quatenus relatio est, & est diversa ab illa; sed omne diversum, & differens formaliter non est absolutum sed relativum, quia est ad aliud: ergo substantia Petri quatenus absoluta est relativa respectu relationis identitatis Pauli: ergo refertur ad illam formaliter, quia omne relativum quatenus tale refertur ad id respectu cuius relativum est formaliter: ergo talis relatio identitatis, quæ est in Paulo est terminus formalis relationis diversitatis, quæ est in Petro; sed per vos talis relatio identitatis non est terminus relationis disconvenientiae, quæ est in Petro: ergo nullum terminum habet talis relatio.

37 Vergetur, quia relatio diversitatis cum vno solum debet referri formaliter ad illud respectu cuius relatio diversitatis est: v.g. quia Petrus dicit relationem diversitatis, quatenus substantia ad albedinem Pauli non potest talis relatio referri, nisi solum ad albedinem, quia ipsa sola est diversitas formalis substantiæ Petri cum albedine, & idem est de diversitate cum quantitate, aut respectu quantitatis; sicut idem contingit in diversitate omnium modorum absolutorum, quæ solum potest terminari ad modos absolutos, & non ad accidentia realia, quia specificatur à modis absolutis, & habet totum suum esse in ordine ad illos, quia sunt respectus formales ad ipsos; sed Petrus ex eo quod sit substantia absoluta est diversus formaliter, & dissimilis relationibus quatenus relationes sunt: ergo est talis formaliter per diversitatem, & dissimilitudinem respectu illarum; sed diversitas, & dissimilitudo formalis sunt relationes formaliter: ergo Petrus quatenus diversus, & dissimilis formaliter relationibus existentibus in Paulo dicit relationes dissimilitudinis, & diversitatis formaliter ad illas: ergo tales relationes solum possunt habere pro terminis formalibus relationes quatenus relationes sunt: ergo relatio quatenus relatio est terminus formalis alterius relationis.

38 Unde si per vos tales relationes non possunt esse termini formales relationum disconvenientiae, & dissimilitudinis, quæ sunt in Petro, tales relationes existentes in Petro nullum terminum habebunt à parte rei, non has relationes existentes in Paulo, ut vos dicitis non aliud, præter illas, quia relatio vnius non potest respicere aliud, ex eo quod specificetur à proprio termino: ergo.

39 Confirmatur ultimo, quia relatio est talis formaliter in quantum est entitas in actu exercito referens, & ordinans vnum ad aliud, seu in quantum est ratio formalis referendi; sed in quantum actu refert fundamentum ad terminum, & in quantum est ratio formalis referendi prædicamentali-ter, disconvenit ab entitate absoluta Petri distinguitur ab illa, & differt ab eadem: ergo in quantum est relatio formaliter, est terminus formalis relationis disconvenientiae, dissimilitudinis, & differentiae. Maior est ipsa luce clario; minor supra demonstrata manet, quia relatio quatenus actu refert, non est absolutum prædicatum: ergo

distinguitur, disconvenit, & differt ab illo. Consequentia prima sic probatur; quia ille est terminus formalis relationis disconvenientiae, differentiae, & distinctionis alicuius, quod fuerit disconveniens, differens, & distinctum ab illo; sed relatio in actu exercito, & quatenus refert substantiam Pauli ad substantiam Petri est disconveniens, differens, & distincta à substantia absoluta Petri: ergo relatio, quæ existit in Paulo formaliter ut talis, & quatenus est ratio referendi formaliter, est terminus formalis relationis differentiae, distinctionis, & disconvenientiae quæ existit in Petro.

Nec obstat dicere relationem identitatis, quæ est in Paulo respectu Petri, esse convenientiam cum Petro ut quo.

Non enim hoc obstat primo, quia licet relatio identitatis quæ est in Paulo, conveniat ut quo cum Petro, ex eo quod sit convenientia formalis Pauli cum Petro in quantum Paulus qui est eiusdem speciei cum Petro, & convenit cum ipso in specie, refertur per illam ad Petrum, nihilominus ut quod est disconveniens talis relatio identitatis cum substantia Petri differt ab illa, distinguitur, & diversificatur ab ea propter multas rationes, videlicet quia est accidens, modus, & relatio formaliter: ergo substantia Petri est diversa ut quod, distinguitur, & differt formaliter à tali relatione: ergo respicit illam formaliter, quia omne quod est diversum ab alio, respicit illud formaliter, ut iam dixi: ergo talis relatio existens in Paulo licet ut quo conveniat cum Petro, quia ut quod disconvenit cum ipso, erit terminus formalis, differentiae, disconvenientiae, & distinctionis, quæ est in Petro.

Secundo, quia in Paulo filio Petri datur relatio filiationis, quæ nec ut quo, nec ut quod convenit cum substantia Petri patris Pauli; (quia nullo modo est convenientia, cum non sit relatio identitatis, aut similitudinis, nec convenientia) sed potius disconvenit, differt, & distinguitur ut quod, quia est accidens, modus, & relatio; imo & opponitur substantia Petri, quatenus generat Paulum: ergo saltem relatio filiationis erit terminus formalis relationis disconvenientiae, dissimilitudinis, & differentiae quæ datur in Petro.

SUBSECTIO II.

Alie rationes ad probandam nostram conclusionem ponuntur.

Secundo principaliter sic arguuntur; omnis effectus productus ab aliqua causa est terminus formalis relationis causæ producentis; sed relatio filiationis quatenus relatio formaliter est effectus dimanans à genito, posito generante, qui est terminus illius: ergo talis relatio filiationis, quatenus relatio formaliter est terminus relationis, quæ datur in genito, tanquam in principio à quo dimanat talis relatio: ergo iam una relatio formaliter est terminus alterius.

Dices, in eo casu filiationem materialiter se habere ut relationem, ac proinde non terminare formaliter ut talem.

Sed contra, quia ut dixi supra, relatio in tantum est formaliter relatio, in quantum est ratio referendi formaliter, sed in quantum est ratio referendi

Quæst. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 751

ferendi formaliter terminat relationem causæ à qua dimanat: ergo non materialiter, sed formaliter una relatio est terminus alterius; maior est certa, minor sic probatur; quia in quantum est ratio referendi non est à se sed ab alio; sed in quantum est ab alio, terminat relationem illius, à quo est: ergo in quantum est formaliter ratio referendi terminat relationem causæ, à qua dimanat. Maior est evidens, quia relatio filiationis, quæ est in Paulo, quatenus est ratio referendi Paulum ad Petrum, non est divina, & increata filio, sed potius est creata formalissime: sed omne creatum quatenus est creatum, est ab alio formaliter, & non à se (præcipue in sententia Patris Suarez, qui ait eo modo transcendere rationem creati ut sic ultimas differentias creaturæ, ratione cuius formalissime prædicatur esse creatum de illis; sicut divinitas transcendit relationes divinas, & formalissime prædicatur de ultimis differentijs illarum): ergo filio quatenus est ratio referendi formaliter non est à se, sed ab alio; minor sic probatur, quia filio in tantum terminat relationem causæ, quæ est in genito, à quo dimanat, in quantum est effectus dimanans ab ipso; sed effectus in quantum effectus est ab alio formaliter: ergo in tantum terminat relationem causæ, in quantum est ab alio formaliter.

47 Confirmatur, quia filio quatenus filio dimanat à genito; sed filio quatenus filio est relatio formaliter: ergo filio quatenus est relatio formaliter dimanat à genito: patet maior, quia filio in tantum dimanat à genito, in quantum genitum debet relative opponi Patri: sed relatio oppositio geniti cum Patre est filio formaliter: ergo filio in quantum filio dimanat à genito, præcipue quia filio in quantum filio dependet à genito in fieri posito generante; sed dependentia in fieri relationis à suo fundamento est dimanatio illius: ergo filio ut filio dimanat à genito; sed id quod dimanat formaliter est terminus relationis principij, à quo dimanat; v. g. aquæ frigiditas est terminus formalis relationis, quæ datur in aqua, tanquam in principio, & causa à qua fluit frigiditas, quia frigiditas in quantum frigiditas dimanat ab aqua formaliter; sed filio quatenus filio dimanat à genito formaliter: ergo est terminus formalis relationis geniti ad ipsam.

48 Vgetur, quia in genito datur duplex formalitas, quatenus illud est principium à quo dimanat filio: prima est principij à quo dimanat aliquid, & huic formalitati correspondet in filiatione ratio effectus dimanantis; alia formalitas est fundamenti, posito termino; nam genitum, posito generante, non est quomodo locum; principij à quo dimanat, sed formaliter est fundamentum posito formali termino; sed huic formalitati debet necessario correspondere formaliter, non quomodo locum effectus dimanans, sed potius talis effectus, id est relatio, seu respectus dimanans, quia à fundamento posito termino formaliter non potest dimanare, nisi relatio, quatenus relatio est; sicut in fundamento, posito termino, quatenus tali formaliter, non potest fundari nisi relatio, quatenus relatio est formaliter; quod patet manifeste, quia à parte rei non datur medium inter absolutum, & respectivum formaliter; quia omne quod est, aut est ad se, vel ad aliud immediate, quia est talis divisio per terminos quasi virtualiter contradicto-

rios: sed fundamento, posito termino non correspondet absolutum dimanans, quia absolutum dimanans non petit coexistentiam fundamenti cum termino, ut experientia ipsa patet: ergo formaliter correspondet entitas relativa tanquam effectus dimanans, vel tanquam forma inherens in tali fundamento: ergo tale fundamentum posito termino refertur ut principium formaliter ad relationem quatenus relatio est; siquidem principium producatum quatenus talis est formaliter; sed effectus, seu ratio dimanans, aut producta per dimanationem à tali principio de quo loquimur, non est absolutum, sed formalissime relatio: ergo fundamentum posito termino refertur ad relationem formaliter, tanquam principium à quo dimanat relatio formaliter ut talis.

Tertio principaliter sic argumentor. Ille est 49 terminus formalis alicuius relationis, qui est concausa cum fundamento, ut resulet relatio in fundamento; sed relatio identitatis, quæ datur in substantia Pauli, quatenus formaliter relatio est, est concausa cum entitate absoluta Petri ut resulet in ipsa substantia Petri relatio diversitatis, & disconvenientiæ in ratione absoluti respectu talis relationis identitatis; ergo relatio identitatis, quæ datur in Paulo quatenus relatio formaliter, est terminus relationis disconvenientiæ, & diversitatis in esse absoluti, quæ datur in substantia Petri.

Maior est certa in sententia adversariorum; 50 nam posito fundamento, & termino formali, resultat relatio in fundamento, quia fundamentum & terminus sunt causæ resultantiæ relationis, ita ut fundamentum sit causa quasi efficiens, quia ab ipso dimanat, & in ipso existit relatio, & terminus sit causa specificativa quæ solet dici, aut causa formalis extrinseca, aut finalis relationis; unde terminus formalis in sententia P. Suarez non solum est conditio, sine qua non: sed potius propria causa extrinseca specificativa, & motiva resultantiæ relationis in fundamento, quod late tractat P. Suarez 2. tomo mei. in prædicam. relationis: ergo terminus formalis est concausa cum fundamento, ut resulet relatio in fundamento.

Minor præcipua, in qua est difficultas, sic demonstratur, quia præciso quocunque alio per intellectum, & conceptis solum substantia absoluta Petri, & relatione identitatis, quæ existit in substantia Pauli, tales entitates, quatenus una est absoluta, & alia relatio, disconveniunt formaliter, quia maxime differt substantia Petri, quatenus substantia, & in quantum absoluta à relatione identitatis, quatenus illa est modus accidentalitatis, & respectivus formaliter; sed duæ entitates quæ realiter, & essentialiter ex vi propriæ constitutionis maxime differunt, distinguuntur, & disconveniunt, sunt concausæ, ut resulet relatio disconvenientiæ, & diversitatis inter illas: sicut entitas præcisa hominis, v. g. & equi, quia ex vi proprii conceptus quidditativi distinguuntur essentialiter, disconveniunt, & diversificantur inter se, sunt concausæ ad invicem, ut resulet inter illos relatio disconvenientiæ, & diversitatis, & sic in homine posito equo ratione differentie essentialis, quam habet cum illo resultat in homine relatio disconvenientiæ, & diversitatis ad equum, ita ut equus sit concausa cum homine, ut resulet in homine talis relatio

disconvenientiæ; ergo relatio identitatis, quæ est in substantia Pauli, erit concausa cum entitate absoluta Petri, ut resultet in Petro relatio disconvenientiæ, & diversitatis ad identitatem formaliter, quia ad talem disconvenientiam quatenus est disconvenientia cum identitate, seu cum relatione identitatis formaliter non potest esse concausa cum entitate absoluta Petri, nisi relatio identitatis quatenus talis formaliter, licet aliarum relationum, etiam diversitatis, & disconvenientiæ possint aliæ res esse concausæ cum entitate Petri, & ratio est, quia relatio diversitatis ad identitatem solum specificatur ab identitate, & solum tendit ad illam, ac per consequens solum petit pro concausa terminativa identitatem, ut v. g. relatio differentie, quæ datur in homine respectu equi solum petit pro concausa sui cum homine equum, & non aliud, ut ex terminis patet; nam si est relatio hominis ad equum quas concausas potest petere nisi hominem, & equum: ergo si entitas absoluta Petri, quatenus absoluta disconvenit formaliter cum identitate formali ex eo quod quatenus talis sit formaliter relatio, quod non habet ex se entitas Petri quatenus absoluta; sine dubitatione entitas absoluta Petri dicit relationem diversitatis, & disconvenientiæ ad identitatem illam formaliter quatenus relatio est: ergo identitas illa, quatenus relatio formaliter, erit concausa cum entitate absoluta Petri ut resultet relatio disconvenientiæ ad ipsam in entitate absoluta Petri.

SVBSECTIO III.

Quartum argumentum principale ponitur.

⁵² **O** Varro argumentor principaliter: illud est terminus formalis relationis oppositæ, quod est fundamentum alterius oppositæ relationis: sed relatio paternitatis est fundamentum relationis convenientiæ, aut identitatis respectu alterius paternitatis in sententia adversariorum qui dicunt, vnam relationem fundari in alia: ergo relatio paternitatis, v. g. A, est terminus formalis relationis convenientiæ, aut similitudinis fundatæ in altera paternitate, v. g. B. Maior est principium apud contrarios, & ideo asserunt in filio terminum formalem relationis paternitatis non esse ipsam filiationem; sed potius esse genitum filij, quia tale esse genitum est fundamentum relationis filiationis oppositæ paternitati: sicut è contra terminus formalis filiationis non est Pater, ut Pater formalissime; sed potius generans, ut generans; hoc est ipsa substantia Patris generantis, exigendo, aut petendo pro ratione fundandi ipsam generationem, quia substantia generantis est fundamentum relationis oppositæ filiationi: ergo fundamentum relationis oppositæ illi, quæ est in altero fundamento est terminus formalis relationis oppositæ existentis in altero fundamento.

⁵³ Minor est certa supposita illa sententia; quia sicut vna paternitas est similis alteri paternitati, & convenit cum illa in esse relationis paternitatis, ita fundat, seu est fundamentum relationis convenientiæ, & similitudinis oppositæ alteri relationi similitudinis fundatæ etiam in altera paternitate; ut v. g. Petrus quatenus convenit cum

Ioanne in esse hominis est fundamentum relationis convenientiæ oppositæ quidem alteri relationi similitudinis, aut convenientiæ, quæ resultat in Ioanne respectu Petri: ergo

Consequentia recte infertur ex maiori, & minori: ergo supposito quod vna relatio possit fundare aliam, quod adversarij passim docent, & concedunt; ex vi huius syllogismi evidenter demonstratur vnam relationem formaliter posse esse terminum alterius.

Dices, relationem paternitatis in illo casu non se habere formaliter ut relationem sed tantum materialiter.

Sed contra, in primis hanc solutionem impugnant omnia ea argumenta quibus vñ sumus ad labefaciendam similem solutionem datam supra subsect. i. huius sectionis.

Secundo contra, quia paternitas in tantum est fundamentum similitudinis cum altera paternitate, in quantum est paternitas formaliter: sed paternitas in quantum paternitas formaliter est formalis respectus, & relatio generantis ad genitum: ergo paternitas in quantum relatio formalis, seu formaliter respectus est fundamentum similitudinis ad alteram paternitatem: ergo quando fundat talem relationem, non se habet materialiter, sed potius formaliter ut relatio. Maior sic probatur, in tantum paternitas est fundamentum similitudinis ad aliam paternitatem, in quantum conveniunt illæ duæ paternitates, & participant vnam, & eandem rationem formalem specificam referendi generantem ad genitum, adque illum ad hunc referunt; sed illæ duæ paternitates non possunt convenire in tali munere, nec participare eandem rationem formalem referendi generantem ad genitum, nec actu illum ad hunc referre, nisi in quantum paternitates sunt formaliter: ergo in tantum paternitas est fundamentum relationis similitudinis ad aliam paternitatem, in quantum est paternitas formaliter.

Maior sic probatur, in tantum v. g. duo singulares homines sunt fundamenta relationum identitatis, & similitudinis essentialis inter se in quantum participant, & conveniunt in eadem ratione essentiali, & formali hominis, & in tantum duo alba sunt fundamenta relationum similitudinis inter se in quantum conveniunt in esse albi, & participant vnam, & eandem formalem rationem specificam albedinis, & ratio à priori evidens est, quia ratio ad æquata fundandi relationem primi generis est unitas fundamentalis duorum, quæ nihil aliud est, quam convenientia ipsorum in aliqua ratione formali; sed paternitates illæ non minus fundant relationes convenientiæ, & similitudinis inter se in ratione paternitatis, quam Petrus, & Paulus in ratione hominis, & duo alba in ratione albi: ergo tales paternitates sunt fundamentum illarum relationum primi generis, utpote similitudinis, & convenientiæ, quatenus habent unitatem fundamentalem in esse paternitatis, quod non est aliud, quam habere convenientiam formalem aut convenire formaliter in esse paternitatis, & in quantum habent illam fundare tales relationes paternitatis.

Minor illa sic probatur. Non possunt aliqua participare, & convenire in vna definitione essentiali, quin sint talis essentialitatis formaliter, v. g. impossibile est, quod duo individua, scilicet Petrus, & Paulus conveniant, & participant formaliter

Quaest. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 753

maliter definitionem hominis, quin sint formaliter homines, & formaliter se gerant, vt tales; sed dum dicitur paternitas: conveniunt formaliter, & participant eandem rationem formalem referendi generantem ad genitum, conveniunt formaliter in eadem definitione formali paternitatis, & participant illam: ergo non possunt convenire, nec participare eandem rationem formalem referendi generantem ad genitum, nisi in quantum paternitates sunt formaliter, gerendo se formaliter vt tales.

60. Minor illa est manifesta, quia species formaliter alicuius generis, formaliter & non materialiter habet rationem generis, quia rationem generis continet species ex vi suae definitionis formalis, quae formaliter continet genericam rationem, & ideo homo quatenus homo formaliter est animal; sed paternitates sunt species relationis vt sic, quae est gens ad illas: ergo si se habent formaliter vt paternitates, formaliter & non materialiter se habebunt vt relationes.

61. Vergetur amplius, & declaratur haec tota nostra ratio ex verbis ipsius Patris Suarez 2. tom. mer. disp. 47. de relatione, conclusionem 2. ratione 3. ibi: Tercio argumentor confirmando, & declarando illud principium, scilicet id, quod in vnoquoque extremo est ratio fundandi propriam relationem est ratio terminandi alteram correlationem, vt v. g. in Petro proximum fundamentum habendi in se relationem filiationis est tota substantia eius quatenus producta per tale generationem a Paulo; haec eadem est ratio, ob quam Petrus potest terminare relationem paternitatis pauli ad ipsum, & idem est in relationibus primi generis; nam albedo, quae in hoc albo est fundamentum similitudinis ad aliud ob unitatem formalem cum ipso, est etiam proxima ratio terminandi relationem similitudinis alterius ad ipsum.

Tunc sic, sed paternitas formaliter vt relatio est fundamentum similitudinis, aut identitatis quae resultat in alia paternitate: nam sicut ratio fundandi est illa, per quam convenienter redditur proxima causa, ob quam talis res habet relationem ad aliud, ita ratio terminandi est illa, per quam redditur proxima causa ob quam res est talis, vt ad ipsam altera terminetur, vel referri possit; & declaratur exemplo, nam sicut album aptum est ad fundandam relationem similitudinis, quia habet albedinem, & ipsa albedo est aptum fundamentum, quia habet talem unitatem formalem, ita etiam idem album est aptum ad terminandam relationem alterius, quia habet albedinem eiusdem rationis, vel unitatis cum albedine alterius, in quantum albedo est, quia in quantum albedo est segregativa visus formaliter, est similis alteri entitati segregativae visus; sic similiter paternitas, vt paternitas, & vt est formaliter ratio referendi patris ad filium, convenit & est similis cum alia paternitate, quia ambae quatenus paternitates formaliter conveniunt in ratione referendi generantem ad genitum; nam sicut paternitas petri formaliter refert petrum generantem ad Ioannem genitum, ita paternitas pauli refert paulum generantem ad Didacum genitum: ergo tales paternitates vt sunt rationes formaliter referendi, & vt relationes formaliter conveniunt: ergo fundant relationem convenientiam, quatenus relationes sunt formaliter, ita vt paternitas petri formaliter quatenus refert petrum ad genitum, fundat relationem similitudinis ad paternitatem pauli.

li: ergo paternitas petri, quatenus paternitas, & quatenus ratio referendi, ac proinde quatenus relatio formaliter erit terminus relationis identitatis, seu similitudinis, quae fundatur in altera paternitate; nam sicut paternitas vt talis est proxima causa, quare in ipsa resultat relatio identitatis ad alteram, sic est proxima causa, quare ad ipsam altera paternitas referatur relatione identitatis, & similitudinis, & ratio evidens est; quia in tantum paternitas habet relationem identitatis ad alteram, in quantum est eiusdem speciei cum illa, & in tantum est eiusdem speciei cum ipsa, in quantum est formaliter ratio referendi generantem ad genitum vt ipsa: ergo in tantum etiam terminat relationem identitatis alterius paternitatis, in quantum est eiusdem speciei, quia quae sunt eadem in specie, fundant, & terminant tales relationes; sed paternitas in quantum talis, & vt est ratio formaliter referendi generantem ad genitum, est eiusdem speciei, & essentiae cum altera relatione, & ratione formali referendi generantem ad genitum: ergo paternitas formaliter vt ratio referendi, & quatenus est relatio formaliter, terminat relationem identitatis alterius paternitatis ad ipsam.

Solum enim restat vt vndeque sit firma haec nostra demonstratio, quod probemus suppositum illud, cui innititur vis nostra argumentationis, videlicet, in sententia adversariorum esse certum vnam relationem posse fundari in alia, quod probo ex verbis ipsius P. Suarez in mer. tom. 2. disp. 47. sect. 1. m. 8. quibus non solum docet, vnam relationem fundari in alia vt similitudinem in paternitate, de qua loquimur: sed etiam probat efficaciter in hunc modum, verum tamen haec sententia non videtur posse in univsum substineri: nam vt forma quoad aliquam denominationem suscipiendam per seipsam sufficiens sit, vel sicut aiunt, vt se habeat vt quo, & vt quod, necesse est quod illa denominatio sit eiusdem rationis cum tali forma, & intrinseca, & inseparabilis ab ipsa vt patet in actione, quae seipsa fit, quia ratio actionis est vt fiat, cum per eam fit aliquid, & in quantitate, quae seipsa est quanta intrinsece; at vero si vna relatio refertur realiter ad aliam, saepe ille respectus est longe diversae rationis a propria ratione, & effectu formali talis relationis, & est illi extrinsecus, & accidentaliter: ergo non potest illa relatio per seipsam ita referri, sed per aliam relationem. probatur minor, quia formalis ratio, & effectus paternitatis est refertur ad filium, cum vero ipsa dicitur similis alteri paternitati, si ad illam refertur realiter, ille est effectus formalis valde diversae rationis, cum tendat ad terminum diversae rationis, & habeat rationem fundandi diversae etiam rationis. Rursus haec denominatio similis est accidentaria paternitati, nam si in mundo non esset alia paternitas, non denominaretur similis, nec referretur illo modo: ergo quando sic refertur, non per seipsam sed per aliam relationem refertur; postea autem respondet obiectioni sic: nam quod quidam aiunt, relationem esse minutissimam entitatem, & ideo non posse fundare aliam in re distinctam non satisfacit, tum quia etiam relatio quae fundatur, est minutissima entitatis, tum etiam, quia iam supponitur prima relatio fundata in absoluto; & ideo mirum non est, quod possit fundare aliam proportionatam, sicut etiam motus, vel tempus est satis diminuta entitatis, & tamen potest fundare aliam, & concludit

concludit postea his verbis in medio §. seu numeri 11. non video quomodo possit consequenter negari, quin una relatio possit per aliam referri, & ita aliam in se fundare; sic ille, & data opera num. 12. & 13. solvit argumenta, quibus adversarij vtuntur, ad probandum non posse vnam relationem fundari in alia.

63 Ecce quomodo evidenter probatum manet suppositum illud, esse certum in sententia adversariorum: ergo firma manet nostra demonstratio.

64 Quod amplius vgetur, quia una ratio formaliter referendi, & quatenus talis, est relatio formaliter, & vt sic exercet formalissimam rationem relationis, sicut intelligitur actualiter est formalis ratio percipiendi, & quatenus percipit, formaliter exercet munus intelligendi, & gerit rationem formalissimam, & non materiale intellectionis: ergo dum relatio est ratio referendi fundamentum ad terminum formalissime se gerit vt relatio, quia formalissime exercet definitionem propriam, quæ non potest materialiter, sed potius formalissime convenire illi: atqui una ratio referendi, quatenus talis non est infinita, & increata; sed potius est finita, & limitata: ergo non repugnat illi habere aliam similem rationem referendi formalissime, quæ conveniat cum ea in ratione formali referendi; sed id quod est simile alteri, est simile per similitudinem formalem, quam fundat in se: ergo una ratio referendi formaliter, & quatenus relatio formaliter potest fundare relationem ad alteram concedis.

65 Tunc sic, per te id quod est fundamentum relationis oppositæ relationi fundatæ in altero fundamento est formalis terminus, & non materialis relationis oppositæ fundatæ in tali fundamento; sed vt nuper probatum est, & concedis, una relatio formaliter quatenus relatio, hoc est in quantum est ratio referendi formalissime, fundat relationem similitudinis oppositam alteri relationi similitudinis, quæ est in altera relatione, seu fundamento: ergo manifeste, & evidenter sequitur, vnam relationem quatenus formaliter relatio est, & quatenus ratio referendi formalissime, esse terminum formalem, & non materiale relationis similitudinis oppositæ, fundatæ in altera relatione.

SVBSECTIO IV.

Quintum argumentum principale ponitur.

66 Omnis paternitas habet duplicem oppositionem, vnam ad genitum in quantum genitum, alteram ad filiationem formalissimam: prima vocatur terminativa, secunda relativa; sed vnum oppositum formalissime respicit alterum oppositum, & alterum oppositum terminat formalissime relationem oppositionis alterius oppositi: ergo filio, quæ est opposita relative paternitati, respicitur à paternitate formaliter, & paternitas à filiatione relatione oppositionis, ac proinde paternitas formalissime terminat relationem oppositionis fundatam in filiatione, & contra filio relationem oppositionis fundatam in paternitate; sed filio in quantum filio est relatio formalis: ergo relatio formalis est terminus alterius relationis.

Vbi adverte, me aliter formare hoc argumentum ac formabat suum de oppositione. R. Kuvius: nam ille aiebat paternitatem per se ipsam, quia opposita est ex vi suæ essentiae filiationi respicere filiationem, & non genitum, & ideo negat filiationem terminari ad absolutum: ego autem dico filiationem non esse formaliter per se ipsam oppositam actualiter, & quasi contrariam, sed potius esse oppositam formaliter paternitati, non ex vi alicuius prædicati essentialis, sed potius ex vi relationis accidentaliter superadditæ ex natura rei distinctæ ab ipsa filiatione, quæ per potentiam Dei absolutam potest tolli à filiatione, adhuc existente paternitate, & sic consequenter assero per se ipsam referri ad genitum in quantum genitum, & per oppositionem formalem sibi superadditam ad paternitatem, ita vt paternitas licet non terminet filiationem, terminet tamen relationem oppositionis; quare terminus filiationis est generans, terminus oppositionis formalis in filiatione fundatæ est Pater vt Pater, & quatenus relativus.

Maiores prima, & præcipua est sententia P. Suarez in met. tom. 2. disp. 47. sect. 16. num. 39. vbi sic ait: tandem ex ijs, quæ in hac sectione diximus, intelligere licet in quo consistat, & qualis sit propria oppositio relativa; potest autem intelligi hæc oppositio, aut inter relationem, & terminum eius, aut inter relationem vnam vnius extremi, & alteram correspondentem illi in alio extremo, seu inter vnum relativum, & correlativum eius, prior oppositio est generalis, omnibus relationibus etiam non mutuis, vt constat ex dictis, & ideo formalissime convenit relationi vt sic; consistit autem in hoc quod relativum vt sic, & terminus habent inter se talem habitudinem, & condiciones ita distantes, vt necessario requirant inter se distinctionem, & paulo post, inter relativa autem realia, & mutua, ac relationes ipsas intercedit relativa oppositio, quæ non consistit in hoc, quod vna respiciat aliam vt terminum; sed in hoc, &c. ex quo talem inter se habent repugnantiam, vt non possint ambæ simul relationes eidem simul inesse, quia non potest vnum, & idem esse fundamentum, & terminus respectu eiusdem; dici vero potest relatio opponi suo immediato termino terminative; alteri vero relationi relative, & hæc posterior est quasi formalis oppositio: nam est inter proprias formas quatenus se mutuo excludunt ab eodem subiecto; quod significavit etiam D. Thomas quest. 7. de potentia, art. 8. ad quartum, sic ille: ergo in sententia P. Suarez paternitas est opposita relative formaliter filiationi quatenus est relatio.

Minor præcipua sic probatur, quia vnum oppositum, quatenus tale non est ad se, sed ad aliud, & in ordine ad aliud, quia omne oppositum est alteri oppositum, neque potest respectu sui solum concipi vt oppositum formaliter, alias idem sibi ipsi opponeretur quod est falsum, nam oppositione oppositum realiter distinguitur à suo opposito realiter, vt sæpe supra probatum manet; sed idem non potest distinguere à se ipso realiter: ergo omne non potest sibi ipsi opponi realiter: ergo omne in ordine ad aliud, est relativum: ergo omne oppositum est relativum respectu sui oppositi: sed omne relativum formaliter respicit id, ad quod est relativum: ergo de primo ad ultimum omne

Quæst. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 755

omne oppositum respicit alterum oppositum formaliter, quatenus tales; sed non potest vnum oppositum respici ab alio, quin tale oppositum quod respicitur, terminet relationem, seu respectum alterius quod respicit ipsum: ergo vnum oppositum respicit alterum, & alterum oppositum terminat formaliter relationem oppositionis alterius oppositi.

⁷⁰ Confirmatur, & declaratur, quia vnum diversum respicit relatione diversitatis alterum, & alterum diversum quod respicitur, terminat formaliter relationem diversitatis respicientis; sed oppositum est summe diversum, quia supra diversitatem addit repugnantiam: ergo respicit alterum oppositum relatione summe diversitatis, quæ est oppositio formalis, & oppositum quod respicitur, terminat relationem oppositionis formalis alterius oppositi, à quo respicitur. Declaratur exemplis, quia album est oppositum nigro, respicit formaliter nigrum relatione oppositionis, & nigrum quod respicitur tali relatione, & respectu ab albo, terminat formaliter relationem illam oppositionis, per quam respicitur ab albo, & idem est in calido, & frigido.

⁷¹ Sed paternitas per vos vere proprie, & formaliter est opposita filiationi: ergo respicit illam formaliter relatione oppositionis: ergo talis filiatio terminat relationem illam oppositionis, per quam respicitur à paternitate formaliter, quia impossibile est vt vnum respiciatur ab aliquo formaliter, & quod ipsum non terminet respectum respicientis formaliter, vt ex terminis patet; sed filiatio formaliter vt filiatio, & quatenus ratio referendi genitum ad generantem, respicitur à paternitate formaliter non per seipsam, sed per relationem oppositionis: ergo filiatio vt filiatio, & vt ratio referendi genitum ad generantem, ac proinde quatenus formaliter relatio terminat relationem oppositionis, per quam respicitur à paternitate: ergo filiatio, vt relatio formaliter est terminus relationis oppositionis paternitatis; minor illa sic probatur, quia filiatio in tantum respicitur à paternitate relatione oppositionis, in quantum formalissime filiatio relative opponitur paternitati; sed filiatio relative opponitur paternitati, in quantum filiatio, & paternitas sunt formalissime relationes, quia oppositio relativa, quatenus distincta à quacunque alia oppositione, non versatur nisi inter extrema quæ relationes sunt formaliter, sicut oppositio contraria vt distinguitur à quacunque alia, non versatur, nisi inter qualitates formaliter, & oppositio contradictoria non versatur, nisi inter affirmationem, & negationem formaliter: ergo filiatio respicitur à paternitate relatione oppositionis, quatenus relatio est formaliter.

⁷² Respondere videretur P. Suarez oppositionem paternitatis non distingui ab ipsis paternitatibus, sed includi separabiliter in ipsis, quod his verbis asserit; nam quidam sunt respectus intime inclusi in ipsis relationibus, & inseparabiles ab ipsis secundum proprias rationes earum, alij vero sunt accidentarij; exemplum priorum sit in paternitate quæ hoc ipso, quod refert patrem ad filium, includit intrinsece, & inseparabiliter oppositionem cum filiatione, & consequenter etiam distinctionem; est enim distinctio veluti quid superius inclusum in oppositione: oppositio autem est quid inclusum in correlatione. Exemplum posterius relationum sit respectus vnus paternitatis.

R. P. Ildeph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

tatis ad aliam in ratione similis, non est ita inclusus in propria ratione paternitatis, & alia paternitas est terminus accidentarius, & extrinsecus respectu alterius paternitatis; de prioribus ergo respectibus satis consentaneum est, quod Cætera nus ait, & si secundum omnes illos eadem relatio referatur, non tamen alia relatione, sed seipsa referri, cum in sua adæquata ratione omnes illos includat.

Sed hæc verba non solvunt vim nostrorum argumentorum quoad præcipuum intentum, videlicet, quod paternitas opponatur filiationi, & respiciat illam formaliter, sed potius confirmant talem oppositionem, & respectum ad filiationem; siquidem illis verbis expresse docet P. Suarez, paternitatem, & filiationem opponi inter se formalissime; atqui oppositio formalis est respectus, & ordo, (quia non est conceptus absolutus, cum non sit ad se sed ad aliud, vt supra diximus); ergo paternitas quatenus opponitur filiationi, dicit ordinem formaliter ad filiationem, & referatur ad illam, quod etiam docet P. Suarez, vltimis illis verbis, & si secundum omnes illos eadem relatio referatur, non tamen alia relatione, sed seipsa: ergo filiatio formalissime quatenus talis respicitur à paternitate, quatenus paternitas est opposita illi, siue talis respectus distinguatur à paternitate, siue non: ergo filiatio formalissime terminat relationem oppositionis, per quam paternitas refertur ad ipsam, siue distinguatur siue non ab ipsa paternitate, quia de hoc præcipue non curamus in præfenti conclusione, (licet tali identitate supposita etiam difficultatem ingerit argumentum P. Ruvij) quia solum intendimus probare, vnam relationem terminare formaliter aliam, quod non tollit identitas paternitatis cum relatione oppositionis, quod patet manifeste exemplo divinarum relationum, nam quod paternitas divina sit idem cum oppositione relativa respectu filiationis divinæ non tollit, quin paternitas vere, & formaliter respiciat filiationem formaliter quatenus relatio est, ac proinde quod filiatio terminet formalissime sibi oppositam relationem paternitatis; sed secundum P. Suarez paternitas creata non desinit habere veram, & formalem oppositionem cum filiatione, & in sententia P. Suarez talis oppositio formalis non desinit esse relatio formaliter: ergo non desinit paternitas respicere formaliter quatenus opposita relative filiationem, vt filiatio, & relatio est, ac proinde non desinit filiatio vt relatio est respectum paternitatis ad ipsam identificatum cum ipsa paternitate: ergo etiam si paternitas non distinguatur à relatione oppositionis, filiatio quatenus relatio formaliter erit terminus relationis formaliter vt talis.

Solum enim adverto, hanc identitatem inter⁷⁴ oppositionem, & paternitatem videri opponi alteri opinioni, quam defendit P. Suarez contra Thomistas, vbi asserit, non posse eandem relationem ad duos distinctos terminos non solum specie, sed etiam numero differentes, ac proinde docet, multiplicatis terminis, debere multiplicari relationem: sed oppositio relativa, quæ est in parte habet pro termino formali filiationem, & paternitas habet pro termino esse genitum; atqui terminus absolutus, & respectivus terminus substantialis, & accidentalis, quales sunt relatio filiationis, & esse substantiale geniti, distinguuntur non solum quasi numerice, & individualiter, sed

Bbbbb sed

sed potius quasi specificæ, & genericæ: ergo oppositio relativa, & paternitas in Patre non sunt una, & eadem formalissime relatio, neque paternitas, quæ per se ipsam respicit genitum, poterit per se ipsam respicere filiationem: sed per aliam superadditam relationem, quæ oppositio formalis sit, si consequenter loquendum sit adversarijs.

Nec valet dicere in sententia P. Suarez relationem fundatam in alia non distingui ab illa à parte rei, non enim hoc valet dicere, quia etiam similitudo, quæ in una paternitate fundatur respectu alterius, identificateur à parte rei cum paternitate ipsa secundum sententiam P. Suarez, & nihilominus ipse P. Suarez asserit, paternitatem non per se ipsam respicere aliam paternitatem, (quia per se non respicit paternitatem, sed genitum) sed per aliam relationem superadditam sibi, & in se fundatam, quæ similitudo, convenientia, seu identitas formalis dicitur, quia ad hunc modum loquendi sufficit aut distinctio virtualis à parte rei, quæ sumitur à distinctis terminis, aut distinctio formalis per intellectum, ut idem P. Suarez sæpe sæpius docet: ergo etiam si relatio fundata in paternitate, quæ oppositio formalis dicitur, sit idem cum ipsa paternitate, nihilominus non sufficiet talis identitas, ut dicat hic author, paternitatem quæ per se ipsam respicit genitum, iterum simul per se ipsam respicere filiationem: siquidem oppositio, & paternitas habent distinctionem, aut virtutalem à parte rei; aut formalem per intellectum, quia termini, quos respiciunt per se, scilicet esse genitum, & filiationem sunt distincti formaliter termini, & ratio est, quia hæc quæstio non dependet ab alia de distinctione fundamenti à relatione, siquidem talis identitas est materialis, & per accidens ad nostrum intentum: sicut quia identitas inter actionem, & passionem est materialis, & non formalis non potest dici agens formaliter constitui in esse agentis per passionem: sed potius per actionem distinguatur vel non distinguatur illa à passione, sicut è contra passum non constituitur in esse passi per actionem, sed potius per passionem: ergo idem dicendum in nostro casu.

75 Sed demus conceptum oppositionis formalis non esse relativum, ac proinde paternitatem ut oppositam non respicere formaliter filiationem: sed solum esse genitum, ac proinde filiationem non terminare formaliter respectum oppositionis, qui reperitur in paternitate.

76 Sed contra manifeste, & evidenter insurgo contra adversarios, quia non potest negari, quin conceptus differentis, diversus, & disconveniens formaliter sit formalissime relativus, & respectivus: nam Aristoteles, & omnes Doctores dividunt primum genus relationis in relationem æquiparantiam & disquiparantiam, similitudinis & dissimilitudinis, convenientiæ & disconvenientiæ, identitatis & differentiæ; unde quia homo formaliter est differens, & disconveniens secundum rationalitatem ab equo, dicit relationem formalem disconvenientiæ, & differentiæ ad equum in quantum irrationalem; sicut è contra, quia homo est similis, & conveniens cum equo in esse animalis, dicit relationem convenientiæ, & similitudinis ad illum, & ratio evidens à priori est, quam sæpe sæpius docuimus, videlicet quod dissimile, disconveniens, diffe-

rens, & diversum non sunt ad se, nec respectu sui ipsius (alias idem à se ipso realiter distingueretur, & sic idem esset, & non esset simul, quod est omnino impossibile) ac proinde non sunt absoluti conceptus: sed potius formalissime sunt ad aliud respectu alterius, & in ordine ad alterum formaliter, ita ut totum suum esse habeant in ordine ad aliud, ita ut nec esse, nec concipi possint sine alio. Unde si non esset equus alterius essentia, & speciei ab homine, non posset homo esse dissimilis, disconveniens, & differens essentialiter ab equo formaliter, quapropter existente solo homine in mundo, & nullo existente equo, nullo modo potest dici, homo actu, & formaliter differat ab equo (licet differat fundamentaliter, seu potentialiter ab illo, quia potest existere equus à quo actu, & formaliter differat homo): ergo ex ijs omnibus evidenter colligitur, omne id, quod est diversum, differens, disconveniens, & dissimile formaliter ab altero esse respectivum formaliter dicereque formalem, & actualement relationem ad alterum, à quo differt, sed paternitas differt actualiter, & formaliter essentialiter, quatenus relatio est à filiatione, quia quatenus relatio est, est specie distincta ratio referendi à filiatione, quia paternitas, & filiationem non sunt eiusdem speciei, sicut sunt eiusdem speciei una paternitas, & alia hæc, & illa filiationem. Unde paternitas in esse relationis formaliter distinguitur specie, & essentialiter à filiatione; quod sic patet manifeste, quia relationes formalissime in ratione referendi distinguuntur specie, sicut substantia, & alia entitates, quatenus tales distinguuntur specie, quia non est maior ratio quare absoluta, ut absoluta distinguantur essentialiter, & differant specificæ, & rationes referendi formaliter, quæ ad distinctos formaliter terminos referuntur, non distinguuntur, & differant essentialiter, alias non darentur species distinctæ rationum referendi essentialiter distinctæ, & differentes, & per consequens neque genere differentes: ex quo primo sequeretur non dari prædicamentum relationis distinctum ab alijs prædicamentis, quod non potest dicere P. Suarez secundum propria principia, cum peculiare prædicamentum pro relationibus distinctum ab alijs ponat. Secundo sequetur, omnes relationes formaliter ut tales esse eiusdem speciei, quia quæ sunt, & non differunt specie, & essentialiter, nec maiori aliqua distinctione, sunt eiusdem speciei, ut videre est in Petro, & Paulo; sed hæc sunt absurda: ergo dicendum est sine dubitatione unam rationem referendi formaliter, & quatenus talis est, ac proinde quatenus est relatio formaliter, esse diversam, distinctam, & differentem essentialiter ab alia, quatenus formaliter relatio est: ergo formaliter respicit aliam relationem diversitatis, disconvenientiæ, & differentiæ: sicut, quia homo differt essentialiter ab equo, quatenus equus est formaliter irrationalis, respicit equum formaliter ut irrationalis est, & quia una actio distinguitur specie, & differt essentialiter ab alia, quatenus actio est, respicit formaliter illam, quatenus actio est formaliter specie distincta à se: quatenus actio est formaliter specie distincta à se, sed una ratio referendi, & una relatio formaliter, v. g. paternitas differt essentialiter ab alia ratione referendi, v. g. filiatione, non materialiter ut relatio est: sed potius formalissime, quatenus talis; siquidem talis distinctio sumitur in ordine

Quæst. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 757.

terminos formaliter diversos, (quæ distinctio non est absolutum, sed relativum formaliter, quia solum distinctio relationum, & non absolutum est in ordine ad terminum, ut ex ipsis terminis patet) ergo una ratio referendi formaliter respicit aliam formaliter rationem referendi: ergo talis ratio referendi, quæ respicitur ab alia, terminat respectum alterius formaliter: ergo iam una ratio referendi, seu una relatio formaliter est terminus alterius relationis, v.g. filiatio ut filiatio quatenus est ratio referendi ratio ad generantem, ac proinde quatenus est relatio formaliter est terminus relationis disconvenientis, diversitatis, & differentie essentialis, per quam respicitur formaliter à paternitate.

SECTIO III.

Secunda nostra conclusio ponitur, & probatur.

⁷⁷ **S**ecunda conclusio: omnes relationes mutue, ex eo præcise quod mutue sint, non terminantur ad respectivum formaliter; si quidem multe sunt relationes mutue quæ immediate, & formaliter terminantur ad absolutum: hæc conclusio est plausibilior, & probabilior apud neotericos quoad utramque partem.

SVBSECTIO I.

Prima pars conclusionis efficaciter probatur.

⁷⁸ **S**i omnes relationes mutue, quia mutue sunt, & in quantum tales terminantur immediate ad respectivum; ratio mutui quatenus talis esset essentialis illis relationibus; sed non est essentialis ratio mutui in relationibus mutuis: ergo omnes relationes mutue, quia mutue sunt, non terminantur ad relativum.

⁷⁹ Maior probatur, quia si relationes mutue in quantum tales terminantur ad respectivum, ratio mutui sumeretur in illis à termino formali illarum; sed omne quod in relatione sumitur à termino formali, est essentialis, & formale ipsi relationi: ergo ratio mutui esset essentialis, & formalis in relationibus mutuis: maior sic probatur; si relationes mutue terminantur ad respectivum, ratio mutui sumeretur à relatione opposita (ideo enim una relatio dicitur mutua, quia ex parte termini correspondet illi altera relatio opposita); sed altera relatio opposita est terminus illius formaliter per vos, v.g. filiatio est terminus formalis paternitatis; ergo ratio mutui in relationibus à termino formali, & essentiali illarum sumitur. Minor sic probatur; omne quod sumitur ab specificante, seu specificativo essentialiter, & formaliter, & in ordine ad illud, est essentialis specificato; sed ratio mutui sumitur in relationibus à termino formali, & essentiali, qui est specificativus formalis, & essentialis relationis: ergo ratio mutui est formalis, & essentialis relationibus mutuis. Maior evidens est, ut videre licet in eo esse, quod sumunt, & accipiunt potentie, & habitus à suis obiectis formalibus, & in esse quod actiones sumunt à suis terminis formalibus, in quibus tale esse est formale, & essentialis, quia sumitur ab specificativis formalibus, & essentialibus: ergo esse, quod accipitur ab specificativo

R. P. Paph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

formali alicuius, est essentialis, & formale in specificato.

Minor prima, & præcipua sic probatur; si esse ⁸⁰ mutui esset essentialis relationi, quæ ex suo genere mutua est, sequeretur quod non posset dari talis relatio sine ratione mutui; sed datur relatio, quæ ex suo genere petit esse mutua sine ratione mutui: ergo ratio mutui non est de essentia relationis, quæ est mutua; minor probatur. Relatio maternitatis ex suo genere est mutua; sed hæc relatio maternitatis, v.g. in Virgine sanctissima datur sine ratione mutui, si quidem ex parte termini, v.g. ex parte Christi in sententia Thomistarum non correspondet alia relatio filiationis ad Virginem: ergo relatio, quæ de suo genere est mutua potest dari sine ratione mutui.

Dices, illam relationem maternitatis in Virgine esse mancā, & imperfectā, ex eo quod non resultet in Christo Domino relatio filiationis, ad quam referatur, ac proinde non habere in se rationem mutui.

Contra: ergo ratio mutui non est essentialis ⁸¹ illi relationi, quæ ex suo genere est mutua, ac proinde non erit de essentia illius perfectio mutui, per cuius carentiam, & absentiam redditur manca talis relatio, quia illud non est essentialis alicui, quod potest separari ab illo, cui convenit, ideo enim albedo nō est de essentia hominis, quia potest separari ab homine existente ipso, & manus, & pedes non sunt de essentia hominis, quia possunt separari ab homine, ita ut ratione talis separationis, & ratione absentie pedum & manuum maneat homo mancus, & mutilus; & è contra ideo rationale est essentialis homini, quia nec realiter, nec ratione potest separari ab homine conservato homine, nec homo potest manere sub carentia rationalis, ita ut maneat mancus, & mutilus: sed ratio mutui separatur à relatione maternitatis, manente eadem relatione maternitatis, quæ ex suo genere mutua est, licet maneat manca, & mutila: ergo ratio, seu perfectio mutui, per cuius absentiam, & carentiam relatio maternitatis vere, & realiter existit, licet manca; non est essentialis relationi maternitatis, quæ ex suo genere debet esse mutua.

Dices, rationem mutui licet sit essentialis, im- ⁸² pedit tamen ne detur in relatione maternitatis, ac proinde separari ab illa ratione termini, seu relationis, quæ deficit in termino.

Contra primo: ergo relatio, quæ deficit ex parte termini non est terminus formalis huius relationis mutue, aut maternitatis quæ est in Virgine vere, & realiter, ratione cuius formalissime, & actualiter est vere mater Christi Domini: hæc consequentia patet manifeste, quia nihil potest esse sine essentiali extrinseco constitutivo, ac proinde relatio prædicamentalis non potest esse adhuc divinitus sine formali termino suo: atqui maternitas formalis Virginis est vera, & formalis relatio prædicamentalis: ergo non potest esse sine suo termino formali; atqui per vos existit in B. Virgine sine relatione filiationis correspondente ipsi ex parte Christi Domini: ergo filiatio, seu relatio ex parte Christi Domini non est terminus formalis relationis maternitatis, ac proinde in relatione, quæ de suo genere est mutua ratio mutui, quæ sumitur à relatione opposita non erit illi essentialis.

Contra secundo, quia quicquid est essentialis ali- ⁸³ cui manente illo, cuius est essentialis, nullius ratio-

Bbbbb 2 ne

ne neque intrinsece, neque extrinsece potest impediri, ita ut non detur in illo, de cuius essentia est: v.g. manente homine nullius ratione potest impediri, quominus sit in homine rationalitas, neque ratione alicuius extrinseci potest destrui ab homine manente ipso, ratio animalis, & non propter aliam rationem, nisi quia rationale, & animal sunt prædicata essentialia hominis, sine quibus homo nullo modo potest esse, aut intelligi, imo potius si ratione alicuius extrinseci impediretur aliquod prædicatum essentialia rei aut destrueretur, sine dubio destrueretur ipsa res, de cuius essentia est tale prædicatum, & sine quo nullo modo potest salvari illa; quod etiam patet (ut ocludamus omnem aditum solutionibus) in ipsa maternitate; nam si in illa, ratione alicuius termini extrinseci impediretur ne esset, aut destrueretur ratio relationis ut sic, quæ est gradus, seu prædicatum genericum illius, sine dubio ratione illius extrinseci impediens destrueretur tota essentia maternitatis, quia res sine omnibus prædicatis essentialibus non potest existere; unde evidenter sequitur quod si existat talis res, & aliqua formalitas ratione alicuius extrinseci impediatur, talem formalitatem non esse de essentia talis rei existentis, sed adhuc impedita, & destructa perfectione mutui, in relatione maternitatis ratione extrinseci, quodcumque illud sit, manet, & existit vere, & realiter relatio maternitatis in Virgine: ergo evidenter sequitur, talem rationem mutui non esse de essentia maternitatis Virginis.

86 Exemplo manifesto declaratur hoc, supponamus, ut fuit certum, dum Adam genuit Abel non existere alium hominem masculum generantem, ac proinde non dari nisi paternitatem Adam respectu Abel, postea autem detur alius homo, qui generet alium filium, sine dubio dabitur in illo paternitas, ac proinde paternitas Adam erit iam similis paternitati illius hominis; si autem quia motitur filius huius secundi patris, destruaturn paternitas in ipso, sine dubio ratione destructionis talis paternitatis quæ est terminus similitudinis paternitatis Adam, destruetur in paternitate Adam similitudo ad illam; ex quo evidenter sequitur talem similitudinem non esse de essentia paternitatis Adam, & non propter aliam rationem, nisi quia destructa, & impedita tali similitudine ratione extrinseci termini non destruitur, sed potius manet vere, & realiter paternitas Adam, quia idem non potest separari à seipso, neque res à propria essentia, & prædicato essentiali, alias esset, & non esset prædicatum essentialia illius, quo etiam argumento probavimus supra, relationem non esse idem cum suo fundamento, quia destructa relatione ratione termini extrinseci, non destruitur sed potius manet, & perseverat ipsum fundamentum absolutum; sed perseverante relatione maternitatis in Virgine, impeditur ratione termini extrinseci perfectio mutui in ipsa relatione maternitatis, per cuius absentiam, & earentiam manet manca, & mutila ipsa relatio maternitatis: ergo talis ratio mutui non est de essentia relationis maternitatis, & sic ratio mutui non sumetur à termino formali illius.

87 Efficacius solutio illa impugnatur quoad imperfectionem illam, & mutilationem, quam adversarij maternitati Virginis adscribunt, quia maternitas illa Virginis manet secundum omnia prædicata essentialia à supremo genere usque ad ultimam rationem individualement: ergo habet ro-

tam suam intrinsecam perfectionem essentialem: ergo non erit imperfecta, nec manca essentialiter, sed potius omni ex parte perfecta essentialiter. Antecedens sic demonstratur, quia illa maternitas Virginis est hæc, & individua maternitas, cum non possit existere aliquid à parte rei, quod non sit individuum; sed non potest esse individuum sine omnibus prædicatis essentialibus sibi debitis: ergo illa maternitas cum omnibus sibi debitis prædicatis essentialibus manet. Minor sic probatur, quia omnia prædicata essentialia realiter identificantur cum individuatione: ergo non possunt separari ab individuatione: ergo si datur individuat, debent dari omnia prædicata essentialia, sine eo quod aliquod ex illis deficiat in tali individuo maternitate.

Secundo, quia inter illa quæ essentialiter sunt subordinata, non potest dari transitus de superiori in inferius, quin detur progressus per medium: sed omnia prædicata essentialia huius maternitatis sunt essentialiter subordinata: ergo non potest maternitas illa transire à superioribus prædicatis ad ultimum individuationis, & quod deficit illi aliquod prædicatum superioris, v.g. corpus, vivens, aut animal, & alias esset Petrus, & non Petrus, esset Petrus, quia supponitur, non esset Petrus, quia deficiente, seu mutato aliquo prædicato essentiali non manet eadem essentia, seu natura, ac proinde non potest manere idem Petrus, quia deficiente in Petro aliquo prædicato essentiali non esset eiusdem speciei cum ceteris hominibus: ergo non esset individuum hominis similis ceteris: ergo non esset Petrus; consequentia præcipua sic probatur; quia illud est perfectum essentialiter, cui nihil deficit ex essentialibus, & integrum est secundum omnia prædicata essentialia, bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu teste Dionysio; sed illi maternitati nolum deficit essentialia prædicatum: ergo illa maternitas est essentialiter perfecta; unde non imperfecta, nec manca essentialiter, & nihilominus deficit ab illa ratio mutui: ergo ratio mutui non est prædicatum essentialia maternitatis.

Dices, existere quidem illam relationem quoad essentialia omnia, non tamen existere completam, quia illi deficit quod terminetur ad filiationem.

Sed contra, quia ex hoc evidenter sequitur quod complementum illud, quod includit tum rationem illam terminandi ad filiationem, tum etiam relationem mutui, quæ ex illa sequitur, non esse essentialiter relationi, cum sine illa ratione terminandi, & sine illa ratione mutui possit existere vere, & realiter maternitas Virginis, res enim, ut iam sæpe diximus, sine aliquo prædicato essentiali, aut sine aliquo constitutivo essentiali, siue intrinseco, siue extrinseco nullo modo potest existere; atqui sine altera relatione ex parte Christi, quæ filiatio est, & sine terminatione ad illam, ac proinde sine ratione mutui resultantem ex tali relatione opposita existit per vos maternitas Virginis: ergo talis terminatio ad filiationem, & talis filiatio, seu relatio opposita non sunt constitutiva essentialia, & formalia, siue intrinsece, siue extrinsece.

Tunc sic, terminus formalis relationis est essentialis, & formale specificativum relationis, ac proinde est essentialis, & formale constitutivum extrin-

Quæst. IV. Vtrum relatio terminetur, & c. 759

extrinsecum relationis, quia relatio essentialiter, & formaliter in ordine ad talem terminum constituitur, & specificatur; sed filiatio ex parte Christi non est constitutum essentialiter, & specificativum formale relationis maternitatis, alias nec de potentia absoluta posset dari vera, & formalis maternitas in Virgine sine relatione formali filiationis ex parte Christi; ergo relatio filiationis formaliter ex parte Christi non est terminus formalis, & essentialis maternitatis in Virgine: ergo alius est terminus formalis, & essentialis ex parte Christi, quia relatio sine omni termino formali non existit, alias esset absolutum, & non relatio; sed non est aliud in Christo Domino, quod possit esse terminus formalis maternitatis Virginis, nisi substantia genita Christi à Virgine, absoluta quidem ab omni relatione ad Virginem: ergo talis substantia genita absoluta est terminus formalis relationis maternitatis, quod sic patet, quia sine tali substantia absoluta genita nullo modo posset dari adhuc de potentia Dei absoluta relatio actualis formalis maternitatis ad Christum; si enim in Christo non daretur substantia genita à Virgine, ita ut nunquam fuisset genita, nunquam etiam fluere generatio à Virgine in substantiam Christi, nullo enim modo posset dari actio generationis sine termino genito, ut ex terminis patet; sed relatio maternitatis non potest dari sine ratione fundandi illam, quia relatio essentialiter petit ad sui resultantiam rationem fundandi, seu fundamentum proximum, quæ est generatio: ergo de primo ad ultimum, si substantia Christi non esset genita à Virgine, B. Virgo non haberet relationem maternitatis ad Christum, & posita illa sola ut genita præcisa quacunque relatione filiationis à Christo, datur in B. Virgine formaliter relatio maternitatis ad Christum: ergo terminus formalis talis maternitatis, quæ ex suo genere per se habet esse mutua, quatenus ad secundum genus relationis pertinet, non est relatio aliqua, sed absolutum esse genitum.

Item, illa relatio maternitatis est relatio prædicamentalis, quia in prædicamento relationis existit utpote vera, & formalis relatio creata, distincta à substantia B. Virginis accidentaliter adveniens illi: sed prædicamentalis entitas est completa, & perfecta, quia res incompleta, ut supra vidimus à prædicamento exulatur: ergo talis relatio in Virgine est completa, & non manca, & imperfecta: ergo talis ratio mutui, & talis terminatio ad filiationem, per quarum carentiam, & absentiam fingitis vos maternitatem illam esse mancā, & mutilam, non pertinent essentialiter, & formaliter ad talem maternitatem, ita ut terminatio ad filiationem sit perfectio intrinseca, & essentialis in maternitate, & filiatio ipsa ex parte Christi sit terminus formalis, & essentialis talis maternitatis: ergo sola substantia genita est terminus formalis illius; sed substantia genita est absoluta, & maternitas ex suo genere est relatio mutua: ergo iam aliqua relatio mutua terminatur ad absolutum formaliter, & non ad relativum: ergo non omnes relationes mutue, quia mutue sunt, terminantur ad relationem.

Dices, substantiam genitam, etiam deficiente filiatione, non esse terminum formalem maternitatis: sed potius esse materiale, quia formalis illius deberet esse filiatio, quæ per accidens deficiit.

Sed contra manifeste, quia ut relatio forma-

lis sit, & vere existat formalissime, non solum petit terminum materiale: sed potius formalissime, & essentialiter formalem terminum, ita ut si non detur terminus formalis, etiam si detur terminus materialis, nullo modo dabitur relatio: sed adhuc non existente filiatione ex parte Christi existit vere, & formaliter relatio maternitatis in Virgine: ergo evidenter sequitur, relationem illam filiationis, quæ deficiit, non esse formalem terminum maternitatis, sed potius esse talem, & non materiale esse genitum, quod datur & ad cuius existentiam, & positionem resultat formalissima relatio maternitatis in Virgine: maior sic probatur, quia illud est necessarium omnino essentialiter, sine quo nullo modo potest dari relatio, à quo specificatur relatio essentialiter, & à quo dependet essentialiter ratio talis specificationis; sed relatio prædicamentalis non specificatur formaliter, & essentialiter à termino materiali, sed à formali: ergo relatio formalis ut sit, & existat vere non petit terminum materiale, sed formalem; & si aliquomodo petit materiale, à fortiori petit formalem sine quo nec esse, nec intelligi potest talis formalis relatio, quia essentialiter est ordo ad terminum formalem.

Exemplo manifesto declaratur hoc, quia actualis visio corporea petit, ut sit necessario, & essentialiter actu obiectum non solum petit obiectum materiale, sed à fortiori petit actu obiectum formale quod sit terminus formalis relationis transcendentalis visionis ad ipsum. Itaque non petit necessario, & formalissime substantiam obiecti, quæ est obiectum materiale; sed potius lucem, calorem, &c. quæ visibilitas vocantur, & ratione cuius in esse visibilis constituitur obiectum, quod adeo verum est, ut si non existerent actu, non posset actu existere visio; unde media nocte datur obiectum materiale actu existens homo nimirum, paries, arbor, &c. & quia non dantur in illis omnia necessaria ad visibilitatem, quæ est ratio formalis videndi; imo si hæc existant non existente substantia, & alia, quæ præcise pertinent ad obiectum materiale, dabitur sine dubio visio, ut videre est in visione, quæ terminatur ad species sacramentales panis, & vini, ad quas terminatur tam perfecta visio, & cognitio intuitiva oculorum, ac si daretur substantia panis & vini, ex quo evidenter sequitur, solum terminum formalem requiri ad relationem essentialiter, & solo illo esse sufficienter contentam talem relationem, & solo illo existente existere illam, & è contra permanentibus omnibus, & solo termino formali non existente minime extitutam relationem: sed existente esse absoluto genito ex parte Christi, & nullo modo existente relatione filiationis per vos existit tota relatio prædicamentalis maternitatis in Virgine: ergo evidenter, & manifeste patet talem relationem maternitatis non petere pro termino formali suæ tendentiæ relationem filiationis, sed potius esse genitum absolutum: ergo esse genitum non est terminus materialis: sed potius formalissimus, & formalissime specificativus relationis maternitatis in Virgine: ergo non omnis relatio mutua, quia mutua est, petit terminum relativum, sed absolutum formaliter.

SUBSECTIO II.

Alia solutiones aduersariorum labefactantur.

97 Respondent ultimo aduersarij dicentes, illam relationem maternitatis in Virgine esse diuerse speciei à cæteris, & ideo non esse mutuum, ac per consequens terminari ad absolutum.

98 Sed contra, quia ubi est terminus formalis eiusdem speciei, & fundamentum similiter eiusdem speciei, & ratio fundandi eiusdem essentia, datur relatio eiusdem speciei; sed fundamentum illius maternitatis est ipsa B. Virgo, quæ est eiusdem speciei cum cæteris matribus, vel est potentia generativa ipsius, quæ sunt eiusdem speciei; item generatio, quæ est ratio fundandi talis relationis est similiter eiusdem speciei cum generationibus cæterarum, & terminus formalis eiusdem speciei, &c. ergo relatio maternitatis in Virgine formalissime, & essentialiter est eiusdem speciei cum cæteris relationibus. Maior clara est quoad primam, & secundam partem; quoad tertiam patet, quia ille est terminus præcise formalis relationis maternitatis, prout distinguitur à termino denominationis talis maternitatis, qui formalissime est terminus generationis prout distinguitur à termino denominationis illius; sed terminus formalissimus generationis B. Virginis, & qui producit formalissime à generatione naturali B. Virginis, est compositum illud ex materia, & anima rationali, licet etiam denominative totum suppositum, id est totus Christus dicatur denominative genitum à Virgine; imo, & Verbum Divinum, licet Verbum Divinum formalissime non producat à generatione Virginis, sufficit enim, ut B. Virgo proprie, ac vere dicatur mater Dei, ut optime notat P. Suarez, tom. 2. in 3. p. disp. 1. sect. 1. prope finem, §. Aliter quod in eodem instanti temporis, in quo anima Christi vnita est corpori, concurrente B. Virgine concursu materno, in eodem inquam momento anima, corpus, & humanitas vnita sint Verbo, nec est necesse, ad hanc denominationem, ut B. Virgo attigerit per veram, ac physicam efficientiam vnionem humanitatis cum Verbo, quia hæc attingentia probabilissime à multis Doctoribus negatur, ut videre est in ipso P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 8. sect. 1. & nihilominus maternitas Virginis est de fide, & certissima, ac proinde non dependet hæc veritas ab alia opinione: ergo.

99 Explicatur hoc à contrario sensu, Iudei enim dicuntur interfecisse Deum, quia per actionem eorum dissoluta est anima vnio cum corpore, & consequenter humanitas ut sic separata est à Verbo, & vtriusque ratio est, quam D. Thomas attribuit 3. p. q. 33. art. 1. quia sicut agere, ita & nasci, seu generati attribuitur proprie supposito; unde licet immediate non producat suppositum, nec vnio humanitatis ad illud, sufficit tamen ut producat tota humanitas, quæ in eodem momento vnita supposito, ut totum illud dicatur generari.

100 Sed totum illud compositum ex anima, & corpore, quod immediate producit à generatione Virginis, & est terminus formalissime productus ab illa, est eiusdem speciei cum alijs terminis productis per alias generationes humanas, & qui sunt

etiam termini aliarum maternitatum: ergo terminus maternitatis Virginis est eiusdem speciei cum terminis aliarum maternitatum. Maior illa sic probatur, quia illa relatio maternitatis est relatio causæ; sed relatio causæ terminatur ad effectum, effectus autem est terminus per generationem productus: ergo de primo ab ultimo idem est terminus formalissime productus per generationem, & terminus immediatus, ac formalissimus relationis maternitatis.

Vergetur amplius, quia Deipara vere genuit¹⁰¹ Christum, quatenus homo est, & nativitas temporalis Christi est vera nativitas humana eiusdem rationis cum nativitate aliorum hominum (quod certa fide constat, ut ait P. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 12. sect. 1. hæc autem nativitas, & generatio est proximum fundamentum, seu ratio fundandi hanc relationem: ergo relatio maternitatis est eiusdem rationis cum relationibus maternitatis aliarum feminarum: patet hoc, quia terminus huius maternitatis est idem qui est terminus nativitatis: sed illa nativitas habet terminum eiusdem rationis cum nostra: ergo & illa relatio habet terminum eiusdem rationis cum alijs maternitatibus, ac proinde talis relatio erit eiusdem rationis, &c. præcipue, quia Christus ut homo est eiusdem rationis nobiscum, licet supposito differat, relatio autem illa, sicut & nativitas terminatur ad Christum, ut hominem: ergo relatio illa habet terminum eiusdem rationis, &c.

Declaratur exemplo manifesto, quia sicut calefactio habet eundem terminum, siue recipiatur in homine, siue in ligno, & in calefaciente eadem relatio consequitur, quia forma inducta, & actio per quam inducitur eiusdem rationis est, quumvis subiecto differant: ita dicendum est in præsentis servata proportionem; nam licet suppositum Christi, & nostrum secundum se diversa sint, tamen quia natura humana quæ tali supposito coniungitur, est eiusdem rationis cum nostra, & actio, quæ B. Virgo concurret, eiusdem etiam rationis existit, ideo etiam relatio eiusdem speciei in ea confluet; deinde quoniam alias Deipara non esset vnio mater cum reliquis, quod est contra mentem Conciliorum, & Sanctorum, de hac materia loquentium.

Dices, B. Virgo miraculose Christum concepit, imo miraculose etiam ad humanam eius generationem operata est: ergo est mater miraculosa: ergo relatio matris est supernaturalis proportionata fundamento, quod proxime consequitur.

Sed contra, quia hæc nullius momenti sunt, nam D. Thomas 3. p. q. 35. art. 3. absolute asserit, B. Virginem simpliciter dicendam esse veram, & naturalem matrem Christi, sicut idem D. Thomas ibidem q. 33. art. 4. docet, Christum esse naturalem filium hominis, hæc enim duo correlativa sunt; relatio ergo matris, vera, ac naturalis relatio est, atque adeo eiusdem speciei cum reliquis; nam quamvis conceptio Christi fuerit miraculosa, tum propter vnionem hypostaticam, tum ratione causæ, efficientis humanam generationem; quoad substantiam, & essentiam fuisse conceptionem naturalem, recte docet Ambrosius lib. de incarnatione dominici sacram. cap. 5. & 6. relatio autem consequitur eam conceptionem, ut est à matre secundum substantiam, & essentiam illius; unde fit licet proprie possit dici, B. Virginem miraculose concepisse, ut docet D. Thomas, quia conceptio in-

Quaest IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 76 I

cludit modum, & habitudinem ad causam efficientem suppletentem concursum viri, non tamen tam proprie dici matrem miraculosam, & supernaturalem, quia mater vocatur à relatione, in qua proprie nihil est supernaturale, quamvis aliqui interdum pie hoc modo loquantur ad explicandam dignitatem, & excellentiam conceptionis, & personam in illa conceptam, vt Bonaventura in 3. dist. 4. art. ultimo, quest. 2. & Reardus, Gabriel, Marci-
 cilus, & alij: ergo certissimum est, talem relationem maternitatis esse eiusdem speciei, quod ab omnibus pene Theologis, vel explicite docetur, vel supponitur, & ex eorum principijs aperte colligitur: unde sine nota temeritatis non potest negari.

105 Quod amplius vrgetur, quia sicut totum esse relationis sumitur à fundamento, & termino formalit, ita vt si fundamentum, & terminus formalis sunt eiusdem speciei v. g. etiam relatio maternitatis erit eiusdem speciei: ita evidenter colligitur à posteriori, ipsam maternitatem non esse distinctam speciei, si concretum formale maternitatis, mater nimirum non sit distincta speciei. Sed concretum matris in Virgine non est distincta speciei à cæteris vt sana Theologia docet, quia cum tota ratio finalis maternitatis in B. Virgine fuerit ad salvandos homines, & redimendos illos, qui sunt filij eiusdem speciei cum Christo vt homine, necesse fuit, vt esset mater eiusdem speciei cum cæteris matribus, & sic B. Virgo fuit generans eiusdem speciei cum cæteris matribus generantibus, & id quod immediate producit ab illa generatione eiusdem speciei cum cæteris genitis, cum B. Virgo vt generans, & Christus Dominus vt genitus à tali Virgine sint individua hominis, vbi non datur diversitas specifica: ergo ipsa relatio maternitatis formaliter est eiusdem speciei cum cæteris. Probatur hæc consequentia, quia vbi ratio formalis constitutiva effectus formalis est distincta specie ab alijs, etiam effectus formalis illius, vt talis est distincta speciei ab illis: v. g. quia albedo est ratio formalis distincta speciei à nigredine, vel calore, effectus formalis illius, v. g. nigrum vt nigrum, & calidum vt calidum est distincta speciei ab albo vt albo; sed effectus formalis maternitatis in Virgine, mater formaliter vt talis non est distincta speciei à cæteris matribus humanis; ergo nec relatio maternitatis est distincta speciei à relationibus aliarum: ergo terminus illius formalissime est eiusdem speciei cum terminis aliarum maternitatum; nam vt supra dixi, terminus formalissimus huius maternitatis est Christus, vt homo (licet per communicationem idiomatum dicatur terminus illius Deus, vt his verbis docet P. Suarez vbi supra; hinc enim fit, animam, & carnem ex vi actionis seu concursus B. Virginis fuisse inter se vnita ad componendum, non tantum humanitatem sed etiam hunc hominem, atque adeo B. Virginem esse matrem huius hominis, & consequenter Dei per communicationem idiomatum; sic ille) sed Christus, vt homo est eiusdem speciei cum cæteris hominibus: ergo terminus huius relationis est eiusdem speciei cum terminis aliarum maternitatum.

Maiores patet, quia in tantum Christus est terminus relationis maternitatis, in quantum formalissimum est productus à Virgine per generationem, quia hæc relatio est producentis, seu generantis ad productum, seu genitum; sed in tantum

Christus est immediate, ac formaliter, physice, & stricto modo productus à Virgine, in quantum est homo, quia in quantum Deus tantum dicitur genitus per communicationem idiomatum: ergo in tantum est terminus immediatus, & formalissimus relationis, in quantum est homo, & non sub alia ratione; sicut non sub alia ratione est terminus generationis, cum generatio formalissime, & immediate tantum attingat, vt terminum productum Christum, vt hominem, & non sub alia ratione relativa filiationis, &c. quia relatio non habet alium terminum nisi quem habet actio, ad quam sequitur, quia relatio semper proportionatur cum ratione fundandi in ordine ad terminum, vt videre est in relationibus primi generis; nam illud habet pro termino formali similitudo albedinis v. g. quod est extremum convenientiæ albedinis, quia talis convenientia est ratio fundandi relationem similitudinis, & ille est terminus relationis differentiæ essentialis hominis, quod est extremum talis distinctionis, scilicet irrationale equitæque extremum, quod attingitur à ratione fundandi est terminus formalis relationis, quæ sequitur ad talem rationem: sed ratio fundandi relationem maternitatis in Virgine quæ nihil aliud est, quam generatio Virginis, habet pro termino formali id tantum quod produxit formaliter, scilicet Christum vt hominem: ergo id habet pro termino formali relationis maternitatis in Virgine; sed Christus vt homo est eiusdem speciei cum cæteris hominibus: ergo terminus maternitatis Virginis est eiusdem speciei cum terminis aliarum relationum maternitatis: ergo relatio hæc maternitatis est eiusdem speciei cum cæteris relationibus maternitatis.

Dices, relationem illam distingui essentialiter à cæteris relationibus, quia terminus huius est absolutum genitum, & terminus formalis aliarum maternitatum est filiatum. 106

Sed contra primo, quia hæc est manifesta petitio principij; nam ego proba hanc maternitatem esse eiusdem speciei cum cæteris maternitatibus, quia habet pro termino rem eiusdem speciei cum terminis formalibus aliarum maternitatum; & tu respondes, non esse eiusdem speciei, quia non habet terminum eiusdem speciei: ergo petis principium; nam argumento, quo proba terminum huius relationis esse eiusdem speciei, respondes non esse eiusdem speciei. Insto, cur non est eiusdem speciei, respondes, quia relatio est distincta speciei. Si autem iterum interrogetur, cur sit distincta speciei, dicis quia terminus huius est absolutus, & cæterarum relativus; ecce de primo ad vltimum quomodo tradis pro ratione illius tuæ conclusionis, (quam impugnamus, videlicet quod omnis relatio mutua terminetur ad relativum, & non ad absolutum) eandem conclusionem, scilicet quod relationes maternitatis terminantur ad relativum, & non ad absolutum, quia mutua sunt: ergo petis principium manifeste.

Secundo contra, quia sicut est ratio fundandi, sic est terminus relationis, ita vt si est vnus rei ratio fundandi, non possit esse terminus alterius relationis relationis illius, quæ sequitur ad talem rationem fundandi; v. g. si ratio fundandi est generatio, terminus illius relationis resultantis ex vi talis generationis non erit simile, nec mensura sed potius erit filius, aut genitum, & si ratio fundandi fuerit vnitas, terminus relationis non erit diversum, dissimile, aut inæquale, sed simile, æquale, 108

le, aut conveniens; atqui ratio fundandi relationem maternitatis in Virgine est generatio eiusdem speciei cum generationibus fundantibus cæteras maternitates: ergo terminus huius est eiusdem speciei cum terminis aliarum maternitatum: ecce argumentum, quod nunquam solvis; quod amplius declaro, & virgo sic.

109 Ideo terminus relationis differentie essentialis, seu distinctionis specificæ quæ datur in homine respectu equi est terminus distinctæ speciei à Leone, qui est terminus alterius relationis differentie resultantis in homine, quia distinctiones quæ reperiuntur in homine respectu equi, & Leonis sunt distinctæ speciei, cuius tota ratio est, quia relatio sequitur quoad identitatem, & distinctionem propriæ essentialis, & termini formalis, quem respicit rationem fundandi à qua essentialiter dependet; è contra vero termini relationum, quæ fundantur in Petro ratione distinctionis individualis ad Paulum, & ad Franciscum non distinguuntur specie: sed solum numerice, quia Petrus non distinguitur à Paulo, & Francisco specie, & essentialiter: sed tantum numerice, ac proinde distinctiones Petri à Paulo, & à Francisco non sunt essentialiter: sed tantum numerice differentes, quæ sunt rationes fundandi talium relationum, ex eo quod dependant essentialiter relationes à suis rationibus fundandi, ac proinde debeant omnino proportionari cum illis,

Item relatio vnionis quæ resultat inter partes homogeneas, habet pro termino homogeneum, & non heterogeneum, ac proinde eiusdem speciei, & solum integraliter distinctum à parte quæ vnitur, & à termino vnionis alterius partis, eiusdem speciei cum hac. v. g. quatuor partes aquæ vniantur inter se, in parte A, respectu partis B, resultat relatio vnionis ad partem B, & in parte C, vnita parti D, resultat alia relatio vnionis, hæc duæ relationes nullo modo habent terminos specie distinctos, nec heterogeneos; sed potius eiusdem speciei, ac proinde relationes inter se non distinguuntur specie, & ratio non est alia, nisi, quia vniones quæ sunt rationes fundandi talium relationum, sunt eiusdem speciei, & habent pro terminis, seu extremis suæ coniunctionis duas aquas, quæ non distinguuntur specie; è contra vero duæ relationes, quæ resultant in eadem materia prima, ratione duarum vnionum ad duas formas specie distinctas, vt v. g. forma rationalis, & forma cadaveris habent terminos formales specie distinctos, quia vniones, supra quas fundantur tales relationes habent pro terminis, seu extremis suæ coniunctionis duas entitates specie distinctas; itaque pro certissimo habendum est, illum esse terminum formalem relationis, qui fuerit extremum, quod attingitur formalissime à ratione fundandi: vnde si extremum rationis fundandi fuerit eiusdem, vel diversæ speciei ab extremo alterius rationis fundandi, etiam relationes fundatæ in illis habebunt pro termino res eiusdem, vel diversæ speciei, ac sunt extrema rationum fundandi tales relationes, vt patet manifeste ex exemplis evidentibus nuper adductis, quæ liquidissime, & clarissime hoc negotium demonstrant.

210 Tunc sic; relatio maternitatis Virginis fundatur in generatione, qua immediate produxit Christum vt hominem, & relatio maternitatis cuiuscunque alterius feminæ, v. g. Franciscæ

fundatur in generatione respectu huius individui hominis; atqui Christus vt homo, & Petrus vt homo, qui sunt termini formaliter, & immediate producti per tales generationes non distinguuntur specie, vt ex fide catholica patet: ergo termini formales, & immediati relationis maternitatis Virginis, & relationis maternitatis Franciscæ non distinguuntur specie formaliter: sed potius sunt eiusdem speciei; atqui per vos absolutum, & respectivum, esse genitum in Christo, & filiationem correspondens Franciscæ generanti sunt termini diversæ speciei, & diversæ rationis: ergo talis filiationem non terminat formaliter relationem maternitatis Franciscæ: sed potius sicut maternitas Virginis terminatur, non ad filiationem; sed ad esse genitum hominis, sic etiam maternitas Franciscæ terminabitur ad esse genitum hominis, & sic genitum hominis erit terminus illius maternitatis; sed maternitas Franciscæ est relatio mutua: ergo iam relatio mutua terminatur ad absolutum, & non ad respectivum: vnde falsa erit hæc universalis conclusio adversariorum, quod omnis relatio mutua quatenus mutua terminatur ad respectivum.

Amplius declaro hoc, ideo generatio Petri generantis non potest fundare relationem paternitatis ad Angelum, vel ad equum primum in omnium sententia, secundum in vestra, quia nulla potest dari generatio Petri, quæ terminetur ad Angelum, & ad equum, cuius rationem sic redditis, quia non est alius terminus relationis, nec est distinctus à termino generationis; terminus enim vtriusque est eiusdem rationis, quia generatio est mensura relationis resultantis ratione illius; relatio enim transcendentalis fundat relationem prædicamentalem, quæ eundem formalem terminum habet, ac transcendentalis, vt videre est in relatione, quæ resultat in materia ad formam potentie ad obiectum, &c. sed generatio est relatio transcendentalis, & non habet pro termino formali genitum, & non filiationem, quia filiationem non producit à generatione Patris, vt postea dicemus; sed emanat, aut resultat à genito: ergo maternitas, aut paternitas, quæ sunt relationes prædicamentales, resultantes ex vi relationis transcendentalis generationis non habebunt pro termino formali filiationem, sed esse genitum; cum autem impossibile sit, quod generatio Petri habeat pro termino Angelum, ideo impossibile est, quod ratione talis generationis resultet in Petro relatio paternitatis ad Angelum, &c. & quia semper generatio Petri terminatur ad terminum eiusdem speciei cum generatione Ioannis, ideo necesse est, vt relationes paternitatis resultant in Petro, & Ioanne ratione generationum, habeant terminos eiusdem speciei, & eiusdem rationis, & non diversæ rationis formaliter; sed generatio Virginis habet pro termino hominem genitum eiusdem speciei cum homine genito, quem habet pro termino generatio cuiuscunque alterius feminæ: ergo maternitates quæ resultant in illis, habent terminos formales eiusdem speciei: hanc inductionem supra posita, tot evidentium exemplorum, quæ ad hoc intentum demonstrandum in medium nuper edidimus.

SYBSECTIO

SUBSECTIO III.

Secunda pars nostrae conclusionis probatur secundo, & tertio argumento, quibus amplius declarantur dicta.

112 Secundo principaliter probatur nostra conclusio, quia paternitas Petri, v. g. (& idem est de relatione ignis producentis alium) quæ est relatio mutua, habet pro formali termino esse genitum absolutum, & non filiationem: ergo aliqua relatio mutua non terminatur ad respectivum, sed ad absolutum. Probatur antecedens, illud habet pro termino relationis paternitatis ut quo, quod formalissime respicit, ut quod Pater; sed Pater respicit formalissime ut quod esse genitum, & non filiationem ex vi talis paternitatis: ergo paternitas habet pro termino formali esse genitum absolutum, & non filiationem.

113 Minor in qua est tota difficultas sic ostenditur, illud respicit ut quod Pater, & ad illud refertur formaliter, quod est productum ab ipso per originem viventis à vivente in similitudinem naturæ specificæ, & non quod non est à se productum; sed genitum in Paulo, & non filiatum, est productum à Petro per originem viventis à vivente: ergo genitum ut genitum, & non filiatum est terminus formalis Patris: maior subsecutione, antecedenti probata est, ideo enim homo non potest respicere, ut Pater arborem, quia Pater non genuit arborem, nec produxit illam origine viventis à vivente in similitudinem naturæ specificæ, & ratio evidens est, quia causa ut causa debet respicere suum effectum, & non id, quod non est effectus illius; sed Pater est causa geniti ut geniti, & non filiationis: ergo genitum, ut genitum est terminus illius, & non filiatum; minor illa sic probatur, quia Pater est species causæ efficientis, ac proinde convenit cum alijs causis efficientibus in esse producentis per actionem, differt tamen ab illis, quia producit per talem actionem, quæ est origo, seu generatio viventis: atqui species causæ efficientis est vera, & formaliter causa, & causa dicitur talis respectu illius, quod producit, & non respectu illius, quod non producit in genere causæ efficientis: atqui Pater producit per propriam actionem quæ generatio est, genitum, & non filiationem: ergo Pater est causa geniti, ut geniti, & non filiationis: consequentia illa sic probatur, quia ille est terminus formalis alicuius relationis, qui respicitur à relatione formaliter, & ad quem refertur talis relatio formaliter; sed Pater refertur ad genitum, & non ad filiationem; ergo genitum est terminus, & non filiatum relationis paternitatis: maior est evidens, ut ex terminis patet, minor sic probatur, quia pater ea ratione refertur ad aliquod, quia genuit illud, & produxit ipsum per generationem, nisi enim genuisset illum, non referretur ad ipsum paternitate: unde id ad quod refertur formaliter, relatio transcendentalis generationis tanquam ad id, quod productum est per ipsam, refertur relatio prædicamentalis resultans ex vi talis generationis tanquam ad purum terminum, ut supra docui: ergo si generatio refertur tanquam ad terminum productum ad substantiam

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

geniti quia illa producitur per generationem, & non filiationem: ergo ad esse substantiæ genitæ, & non ad filiationem refertur immediate, & formaliter paternitas, quæ est relatio prædicamentalis resultans ex vi relationis transcendentalis generationis, fundamentum enim est prius relatione, & relatio refert fundamentum ad id quod est simul cum fundamento; sed quod est simul cum fundamento paternitatis est substantia genita: ergo fundamentum paternitatis refertur ad substantiam genitam per paternitatem; sed in Patre nihil præcessit in ratione fundamenti, præter substantiam Patris, & actualem generationem: ergo homo generans, quia genuit refertur: ergo refertur in ratione causæ ad effectum, qui est substantia hominis geniti.

114 Quod autem substantia geniti, & non filiatum sit producta per generationem à Patre, est manifestum; de substantia enim geniti nulla dubitatio est, tum quia id producitur à Patre, quod ex vi generationis Patris accipit esse actuale, & transit de statu possibilitatis ad statum actualitatis; sed ex vi generationis substantiæ Patris, v. g. Petri Paulus secundum substantiam propriam accipit esse actuale, & transit de statu possibilitatis ad statum actualitatis: ergo substantia Pauli producitur per generationem à Petro patre, tum etiam quia id producitur per generationem quod afficit generatio, & constituit in esse geniti; sed Paulum secundum substantiam afficit generatio Petri, & constituit in esse geniti; & ideo Paulus quatenus est hic homo substantialiter, & essentialiter, est genitus à Petro: ergo. Tum denique, quia id producitur à Patre per generationem in quo resultat filiatum, & per filiationem refertur ad Patrem, & constituitur per filiationem in esse filij; sed Paulus secundum substantiam refertur ad Patrem per filiationem, & constituitur in esse filij à filiatione, quæ resultat in substantia ipsa Pauli: ergo sine vlla dubitatione dicendum est, esse substantiale Pauli generari à Petro, & produci per generationem ab ipso.

115 Quod vero filiatum ipsa non producat per generationem à Petro, sic demonstratur, quia filiatum est relatio, quæ fundatur in substantia genita Pauli à Petro, & non in ipso Petro generante Paulum; sed relatio fundata in aliquo, producitur, aut dimanat à fundamento, in quo fundatur adæquate, & totaliter, minimeque efficitur, neque efficienter producitur à termino; solum enim specificatur ab illo, & positio termini est necessaria ad efficientiam totalem fundamenti in relationem; unde relatio tanquam à totali causa emanat à fundamento solum posito termino; & ideo ait D. Thomas, relationem non à termino, sed à fundamento fluere, alias relatio similitudinis, quæ resultat in Ioanne Nespoli per positionem alterius albi in India Orientali, & si longius vis in spatijs imaginarijs, produceretur efficienter ab existente supra caelos, quod est falsissimum, & summum absurdum, quia nulla creatura est quæ habeat tam late patentem sphaeram activitatis, nam eo modo est limitatio sphaeræ activitatis quo est limitatio, & determinatio perfectionis agentis; sed Pater est terminus filiationis, & nullo modo est fundamentum illius: ergo filiatum, quæ est in genito, & constituit illum filium, non fit efficienter, nec producitur à Patre: sed potius dimanat,

C c c c c manat,

manat, & fluit à genito, unde neque filiatio, nec filius reduplicative ut talis est effectus Patris, licet simul tempore, & duratione sint genitum, & filius in Paulo.

116 Exemplo manifesto hoc declaratur, licet B. Virgo in ipso instanti suæ productionis, & conceptionis fuerit grata, sancta, & gloriosa, ut pia opinio fert, nihilominus non fuit formaliter producta, ut grata, sancta, & gloriosa à suis parentibus, sed solum à Deo supernaturali auctore. & tota ratio est, quia licet parentes per generationem produxerint B. Virginem, in qua datur gratia sanctificans, & gloria, nullo modo produxerunt ipsam gratiam, & beatitudinem in Virgine, quia hæc à Deo auctore supernaturali infuse sunt, & gratum ut gratum reduplicat supra gratiam, unde qui non producit gratiam formaliter, non est causa grati quatenus grati reduplicative, sed licet pater producat substantiam geniti, nihilominus non producit per generationem relationem filiationis, quia hæc resultat, & dimanat ab ipsa substantia geniti: ergo pater non est causa filiationis, ac per consequens filij, ut filij reduplicative, sed pater solum refertur per relationem paternitatis tanquam ad terminum formalem ad id, ad quod refertur per generationem tanquam ad terminum productum: ergo pater refertur per relationem paternitatis, non ad filiationem, sed ad substantiam geniti; sicut parentes Virginis non referuntur per relationem paternitatis, & maternitatis ad gratiam, sanctitatem, & beatitudinem Virginis, sed ad substantiam Virginis: quia per generationem naturalem non produxerunt gratiam, & gloriam Virginis sed solum substantiam naturalem illius.

117 Sed demus, patrem producere per generationem non solum substantiam geniti formaliter, & immediate: sed etiam filiationem ipsam: ergo Pater per paternitatem referretur non solum ad filiationem, sed etiam ad substantiam geniti, à fortiori: quia pater in tantum refertur relatione paternitatis ad aliquem terminum, in quantum genuit illum terminum, & produxit ipsum per generationem: atqui non solum produxit per generationem relationem filiationis: sed à fortiori principalius substantiam geniti: ergo à fortiori, & principalius respicit formaliter substantiam absolutam geniti, licet etiam alioquin respiciat filiationem: nam quod principalius producere intendit per generationem, est individuum simile in natura specifica, & essentialiter: atqui substantia geniti quatenus talis est similis in specie, & essentialiter generanti, quia filius ut filius ratione filiationis potius opponitur relative patri, quam assimiletur ipsi, ratione oppositionis relative, & formalis quæ versatur inter relationem paternitatis, & filiationis: ergo potius, & principalius respicit substantiam geniti quam filiationem, quia pater respicit principalius effectum, ut effectum per generationem: ergo velint, nolint adversarij, debent concedere relationem mutuum, uti est paternitas, terminari ad absolutum.

118 Respondent aliqui, distinguendo illam propositionem, pater respicit effectum ut effectum, vel productum ut productum per generationem à se, si ly *ut effectum* reduplicet rationem formalem, negant illam, si vero reduplicet conditionem, concedunt illam: itaque asserunt, rationem formalem terminandi esse filiationem, ut

filiatio est, conditionem vero esse rationem effectus.

Sed contra primo, omne illud quod distinguitur unum ab alio essentialiter non est conditio, sed ratio formalis: ergo ratio effectus non est conditio respectu paternitatis, sed ratio formalis terminandi: Antecedens est certissimum, quia omne quod distinguitur, est forma, vel per modum forme, ut patet in omnibus obiectis, & specificantibus, alias quilibet posset dicere, quod in scientia obiectum formale non esset ratio formalis, sed conditio, & quod obiectum materiale sit ratio formalis; v. g. directionem esse conditionem, & actus intellectus esse rationem formalem specificandi Logicam, & distinguendi illam à Philosophia, quod est ridiculum, & ratio est manifesta, quia omne illud, quod distinguitur eo modo quo distinguitur, dat esse quia quælibet res distinguitur essentialiter per suum esse: ergo quod dat esse, eo modo quo dat illud, distinguitur: probatur prima consequentia; ratio effectus distinguitur unam relationem ab alia formaliter, & essentialiter ex parte termini: ergo ratio effectus non est conditio sed potius ratio formalis ex parte termini. Probatur Antecedens; relatio primi, & secundi generis conveniunt in ratione relationis mutue, & differunt essentialiter & formaliter, quia relationes secundi generis sunt relationes causæ, & effectus: ergo ratio effectus distinguitur unam relationem ab alia. Probatur consequentia; ratio relationis mutue est ratio generica; sed ratio generica non distinguit unam speciem ab alia: ergo ratio mutue relationis non distinguit unam relationem ab alia mutua: maior est certissima in sententia adversariorum, minor est evidens; ratio enim conveniendi formaliter non est formaliter ratio differendi: sicut v. g. homo non distinguitur ab equo formaliter per animalitatem, sed per rationalitatem, & ratio est, quia differentia est, quæ distinguit formaliter non autem genus; sed ratio relationis mutue est genus quasi subalternum respectu relationum primi, & secundi generis: ergo ratio relationis mutue non est ratio differendi formaliter: ergo tantum est ratio effectus, vel causæ id quod formaliter distinguit, quia non est dabilis alia ratio in relatione secundi generis, ut sic: ergo ratio causæ, vel effectus est ratio formalis ex parte termini relationis secundi generis ut sic: ergo ratio effectus respectu paternitatis non est conditio, sed ratio formalis: pater consequentia, ratio causæ, vel effectus respectu relationis secundi generis non est conditio, sed ratio formalis: atqui paternitas est relatio secundi generis: ergo respectu illius ratio effectus est ratio formalis, & non conditio: ergo pater respicit effectum, ut effectum formaliter.

Vergetur, id quod est formale superiori alicuius, & non est conditio respectu illius, contra: utrum per differentiam etiam est formale respectu inferioris, & non conditio, quia quidquid convenit superiori eo modo quo convenit illi, convenit inferiori secundum illud axioma, Dicitur de omni, & inductione manifesta patet. Nam qui vivens non est conditio, sed potius prædicatum essentialiter, & formale respectu animalis contra: utrum illud vivens per sensibile non est conditio respectu hominis, sed potius prædicatum essentialiter formaliter conveniens homini, quia vivens contra: utrum per sensibile est vivens sensibile, & vivens sensibile est animal formaliter, animal autem formaliter

Quæst. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 765

maliter non est conditio respectu hominis, sed potius prædicatum essentiale formaliter conveniens illi; siquidem convenit homini ex vi definitionis formalis illius; homo enim formaliter sic definitur, est animal rationale; quidquid enim ex vi definitionis essentialis formaliter convenit homini, non convenit homini ut conditio, sine qua non, sed potius convenit ut ratio formalis essentialiter constitutiva hominis.

121 Item, quia actio est ratio formalis constitutiva agentis ut sic, & non conditio sine qua non, contracta illa ratio actionis ut sic per differentiam generationis, & constituta per illam in esse generationis non est conditio, sine qua non respectu talis agentis, scilicet generantis, sed potius est ratio formalis constitutiva talis agentis in esse agentis; è contra quia approximatatio ut sic non est ratio formalis respectu agentis ut sic, sed potius conditio operandi, illa approximatatio particularizata non est ratio formalis, sed etiam conditio respectu talis agentis.

122 Tandem quia intelligibile ut sic, seu veritas ut sic ex parte obiecti intellectus, ut sic non est conditio, sine qua non tale obiectum terminet cognitionem, intelligibilis ut sic singularizata, videlicet intuitivè, abstractivè, &c. non est conditio sine qua non, sed potius ratio formalis constitutiva obiecti in esse intelligibilis à tali intellectione; sicut quia in sententia multorum Thomistarum non est conditio, sed ratio formalis movendi voluntatem ex parte finis esse apprehensum, similiter tale esse apprehensum non est conditio, sed ratio formalis taliter movendi voluntatem.

123 Ex quibus omnibus evidenter colligitur id, quod non est conditio, sed potius ratio formalis sive extrinsece, sive intrinsece respectu superioris particularizatum per differentiam non posse esse conditionem, sed potius rationem formalem respectu inferioris; sed relationi, ut sic secundi generis convenit, ut ratio formalis, & non ut conditio ratio effectus, vel causa ex parte termini, quia per rationem causæ, vel effectus distinguuntur formaliter relationes secundi generis à ceteris generibus relationum: ergo ratio causæ, vel effectus singularizata, & contracta per differentiam talis causæ, & effectus ex parte talium terminorum, non erit conditio, sed ratio formalis respectu talium relationum secundi generis inferiorum quidem relationis ut sic secundi generis; atqui paternitas est talis relatio secundi generis inferior respectu relationis ut sit, causæ ad effectum: ergo ratio talis effectus, id est producti per generationem ex parte termini paternitatis non est conditio sine qua non, sed potius ratio formalis terminandi.

124 Secundo contra, ille est terminus formalis aliquis relationis, quo ablato, & non posito, vel existente, aufertur relatio, vel non datur actualiter, & illo posito etiam ablatis alijs, ponitur relatio; sed ablata à filio filiatione, & persistente sola substantia genita, persistit relatio secundi generis: ergo substantia genita non est conditio, nec terminus materialis, sed potius terminus formalis, & ex alio capite nullo modo erit terminus formalis filiationis; maior est omnino cetera, nam relatio prædicamentalis essentialiter petit terminum formalem actualiter existentem ut supra probatum est, & concedunt adversarii. Probatum minor: ablata relatione filiationis manente substantia genita, manet relatio parentis, quæ est secundi generis: ergo, &c. Antecedens est certum in sententia Thomistarum, & vidimus supra subsec. 1. nam B. Virgo dicit relationem parentis ad Christum Dominum; sed in Christo Domino solum datur substantia genita, & non datur relatio filiationis ad B. Virginem, quia Verbum divinum est incapax illius relationis, in quo deberet recipi illa relatio in sententia Thomistarum: ergo manente substantia genita, & non manente relatione filiationis, datur relatio maternitatis, quæ est secundi generis: ergo relatio secundi generis non habet pro termino formali relationem, sed potius esse genitum, quod est absolutum: patet consequentia, terminus formalis relationis prædicamentalis est essentialis relationi; sed relatio non est essentialis alteri relationi secundi generis: ergo relatio opposita, v. g. filiatione non est terminus formalis relationis parentis, & idem argumentum fit de alijs relationibus mutuis, ut est relatio identitatis Petri ad Christum Dominum, & relatio convenientiæ in esse substantiæ intellectualis completæ, quam dicit Angelus ad Deum, & quam dicit homo effectus ad ipsum Deum, in quantum Deus causa est ipsius, quibus relationibus non correspondet ex parte Dei aliqua relatio prædicamentalis, & nihilominus ex parte Angelis, & hominis dantur veræ, propriæ, & formales relationes prædicamentales.

Maiores probatur, omne illud à quo aliquid specificatur formaliter, est illi essentialis, saltem extrinsece, sed relatio specificatur à termino formali: ergo est illi essentialis saltem extrinsece.

Tandem, quia ut supra vidimus, terminus formalis relationis, ut sic primi, aut secundi generis contractus per differentias, est terminus formalis talis relationis primi, aut secundi generis; sed terminus formalis relationis primi, aut secundi generis ut sic non est necessario relatio, quia relatio ut sic primi, aut secundi generis non habet pro termino formali relationem, alias omnes relationes primi, aut secundi generis haberent pro termino relationem; (quia quidquid convenit positive superiori convenit omni contento sub illo) ut patet, esse falsum in relationibus Angelis, & hominis ad Deum, Virginis ad Christum: ergo non omnis relatio primi, aut secundi generis habet pro termino formali relationem, sed quædam sunt quæ habent pro termino relationem, aliæ autem absolutum, & relatio secundi generis habet rationem termini effectus, vel causæ abstractantis ab absoluto, vel relativo, &c.

Tertium argumentum principale ponitur.

Antequam ponamus hoc argumentum, supponamus in sententia Thomistica esse certum relationem specificari à termino formali, & omne specificativum debere esse prius specificato, quia est causa illius in sententia illorum, causa autem semper est prior suo effectui.

Tunc sic argumentor, ex communi illo prologo, posito fundamento, & termino, confurgit relatio; sed relatio paternitatis est vera relatio: ergo relatio paternitatis resultat, posito fundamento, & termino eius: ergo relatio paternitatis terminatur ad absolutum, & non ad relationem formaliter, & immediate probatur consequentia hæc ultima. Terminus, qui ponitur, ut confurgat relatio paternitatis, est prior ipsa relatione paternitatis.

Ccccc 1 nita

129 *Quod autem esse genitum sit prius relatione paternitatis est manifestum (vnde erit manifesta prima pars illius minoris) nam quod est prius respectu alicuius est etiam prius respectu illius, quod est simul cum illo; sed genitum est prius filiatione, & filio est simul cum paternitate: ergo esse genitum est prius paternitate. Deinde, quia generatio, quæ constituit generans extrinsece, est quæ constituit genitum intrinsece; itaque generatio est, quæ formaliter constituit vtrumque, & in vtroque formaliter reduplicatur; vnde licet substantia generans sit prior natura substantia genita specificative, non tamen reduplicative generans vt generans est prius genito vt genito, neque genitum vt genitum est posterius generante vt generante reduplicative, & formaliter; alias in ipsa generatione, quæ reduplicatur, & quæ constituit generans vt generans, & genitum vt genitum daretur prioritas, & posterioritas, quod est absurdum, quia idem respectu sui ipsius non est prius, & posterius, alias idem distingueretur a seipso. Vnde procul dubio dicendum est simul constitui genitum vt genitum, & generans vt generans; sed generans vt generans est prius paternitate, quia est fundamentum proximum, seu ratio fundandi paternitatem, ac proinde est causa vt resultet paternitas in generante, & causa vt causa est prior suo effectu; ergo genitum vt genitum formaliter, & reduplicative est prius ipsa paternitate: ergo genitum vt genitum est terminus formalis paternitatis.*

intelligendum de termino formalis.

Vt autem aduersarij intelligant, quam confe-
quenter nos procedimus in hac, & in prima se-
ctione eodem proloquio vsi sumus ad probandum
vtramque conclusionem, scilicet quod alius re-
solutum terminetur ad relativum, & alix ad ab-
solutum, vt patet ex supra dictissimam in relatione
similitudinis, quæ resoluitur in vna paternitate res-
pectu alterius paternitatis tenet proloquium, &
etiam tenet in oppositione paternitatis respectu
filiationis, & sic de cæteris, quia ille est terminus
formalis

Quaest. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 767

formalis similitudinis paternitatis ad alteram paternitatem, & oppositionis paternitatis ad filiationem, quo posito cum paternitate simul est prius ipsa relatione similitudinis, & oppositionis, quae resultat in paternitate, sed altera paternitas, & filiatione ponuntur simul, & sunt prius, quam relatio similitudinis, & oppositionis resultent in paternitate respectu paternitatis, & filiationis, & ad positionem alterius paternitatis, & filiationis resultant duae relationes in paternitate, alia similitudinis ad alteram paternitatem, alia oppositionis ad filiationem: ergo terminus formalis similitudinis, & oppositionis dictae sunt paternitas, & filiatione; sed paternitas, & filiatione sunt relationes formaliter; ergo terminus formalis talium relationum sunt relationes formaliter: ecce quomodo ex illo principio, posito fundamento, & termino resultat relatio, tanquam ex prioribus causis talis relationis, concluditur nostra prima, & secunda conclusio.

SVBSECTIO IV.

Quantum argumentum principale ponitur.

¹³⁵ In vestra sententia una relatio sufficit ad plures terminos, & ideo una causa v. g. pater non respicit plures effectus, seu filios pluribus relationibus, sed potius unicus, & ideo asseritis unum effectum una relatione respicere plures causas, praecipue si sint subordinatae illae, ut creatura, & Deus v. g. dum concurrunt ad hominem producendum, ex quo sic argumentor, homo productus respicit unam relationem indivisibilem hominem, & Deum: sed illa unica relatio terminatur ad absolutum respectu Dei, quia in Deo non est relatio, quae possit terminare talem relationem creaturae: ergo etiam terminatur ad absolutum respectu hominis generantis; pater haec ultima consequentia, quia una, & eadem relatio non potest habere terminos formales specie distinctos, alias eadem relatio specie reali a seipsa distingueretur; nam ideo per vos supra, materitas Virginis distinguebatur specie, & essentialiter a ceteris relationibus paternitatis aliarum feminarum, quia ceterae relationes habent terminum formalem relativum, illa vero absolutum; sed haec eadem relatio, quae respicit Deum, & hominem generantem, habet terminum absolutum ex parte Dei, & relativum ex parte creaturae: ergo eadem a seipsa distinguitur specie, & essentialiter a parte rei, quod est summum absurdum, alias esset, & non esset eadem simul.

¹³⁶ Deinde, quia illa relatio non est libera, nec habet libertatem, ut vno modo respiciat hunc terminum, & alio modo illum; sed est forma naturalis, quae semper eodem modo procedit, ac proinde ad terminum eiusdem rationis debet tendere, quia unica essentia unicum, & eodem modo specificativum debet habere, & non formaliter distincta specificativa; atqui relatio illa est unica formalissime essentia, & terminus est specificativus illius essentialis ex alio capite absolutum, & relativum formaliter sunt termini formaliter, & specie distincti, ut vos asseritis: ergo non possunt esse simul absolutum, & respectivum terminus formalis talis relationis; ergo vel solum debet esse absolutum, vel relativum in omnibus, quae terminant talem relationem; sed non est in

omnibus relativum, ut patet in Deo: ergo in omnibus est absolutum.

Tandem, quia illa relatio perfectissime conservatur habendo pro termino absolutum in Deo: ergo absolutum est terminus formalis illius, unde, & specificativum illius essentialis, & formale, quia res non potest conservari sine suo formali, & essentiali specificativo, in ordine ad quod habet totum suum esse essentialis, ita ut si specificatum petat actu existens suum specificativum, sine illo actu existente non poterit conservari, ut in exemplo quod supra adduximus de actuali visione corporea patet, & in unione evidentius liquet, nam unio nullo modo potest existere a parte rei, quin unibilia actu existant: ergo si actu conservatur illa relatio sine eo quod corresponsdeat ex parte Dei terminus relativus contenta solum esse absolutum Dei, illud absolutum Dei erit formalis terminus, ex quo evidenter sequitur, esse per accidens, quod ex parte alterius termini, scilicet hominis generantis, detur relatio paternitatis, & sic talis relatio non est formalis terminus, nec formaliter existit in generante ut terminet relationem geniti, sed solum ut hominem generantem referat ad genitum.

Vergetur, quia si ibi relatio paternitatis est formaliter terminus sine illa paternitate non posset conservari relatio filij in genito, ut patet ex supra dictis; sed hoc est falsum: ergo talis relatio paternitatis in generante non est terminus formalis relationis filiationis. Minor illa sic probatur, nam si per impossibile in homine generante impediretur relatio paternitatis, ita ut nulla daretur relatio paternitatis in generante, aut quia post eius resultantiam ipsam destrueret Deus, aut quia ipse sua potentia absoluta impediret resultantiam paternitatis, conservata entitate absoluta generantis, sine dubio relatio filiationis, aut effectus ex parte geniti posset ad illum terminari: ergo signum est, illas duas relationes solum concomitanter se habere, & non per formalem terminationem unius ad alteram; nam si Deus qui est alius terminus, & aliud extremum illius relationis licet talis natura sit, qui non possit fundare relationem, nihilominus apte, & recte terminat illam: ergo quacunque ratione contigerit, alterum extremum manere creatura nimirum cum entitate absoluta, & sine relatione paternitatis, nihilominus erit sufficiens ad terminandam relationem geniti aut producti, est enim eadem ratio, nam quod unum fundamentum sit aptum, necne ad fundandam propriam relationem, est per accidens ad terminationem alterius; unde si per intellectus praecisionem separaretur relatio a tali extremo, intelligitur manere aequae sufficiens, ut optime notat P. Suarez ad terminandam aliam relationem, ac illud extremum, quod non est capax relationis, Deus nimirum: ergo si absolutum sufficit in Deo, & non requiritur relatio ad terminandum relationem, signum evidens est in omnibus sufficere, imo solum illud esse formalem terminum, & ad terminationem per accidens esse relationem oppositam; nam conservato absoluto, datur terminatio licet non sit relatio, & destructo absoluto non datur relationis terminatio, licet conservaretur relatio, ad quod supponamus quoddam impossibile extrinsecum (quod a multis adversariis non ut impossibile, sed ut certum admittitur de facto) nempe quod relatio filiationis, vel paternitatis, v. g. sit res, & distincta

à fundamento, substantia nimirum generante, quam vt sic potest Deus separare à suo fundamento, & ponere in subiecto extraneo, v. g. in arbore quod posse fieri conuincunt, quod ex vna parte non sit actus vitalis, & ex alia parte sit res simpliciter, sicut quantitas, quod separata est in Eucharistia diuinitas à proprio subiecto, quia res est, & non modus.

- 139 Tunc autem genitum non posset referri ad arborem licet in arbore daretur paternitas, quia genitum non refertur, nisi ad causam, à qua processit per originem viventis à vivente, &c. quia relatio vt supra diximus filij, aut effectus respicit terminum, à quo effectus dependet, & à quo accipit esse per dependentiam; vnde respicit extremum suæ dependentiæ; sed licet arbor habeat relationem paternitatis, quæ erat in generante, nihilominus non est causa geniti, à qua processit per originem viventis à vivente coniuncto, nec est extremum dependentiæ geniti à generante: ergo non est terminus relationis geniti; atqui talis relatio non potest esse sine termino, vt patet ex terminis: ergo aliquis est terminus talis relationis, nempe qui fuerit causa, à qua accepit esse genitum per generationem, & quæ est extremum dependentiæ geniti; atqui homo generans est causa geniti, & est extremum dependentiæ geniti: ergo est terminus talis relationis, sed non est terminus ex vi relationis paternitatis, quia iam supponimus talem paternitatem separatam esse à generante, & positam esse arbore; ergo est terminus formalis ex vi substantiæ generantis absolutæ.

- 140 Nec potest dici, relationem filiationis destrui in genito, nam relatio non destruitur in fundamento existentibus fundamento, & ex parte termini omnibus perseverantibus, quæ erant, quando resultauit filiatio: itaque existentibus, & perseverantibus omnibus causis, & circumstantijs causarum, à quibus sit, conservatur effectus naturaliter, sed in illo casu conservaretur esse genitum, quod est fundamentum filiationis substantia generans, & paternitas, etiam si separata sit à generante: ergo non potest destrui talis filiatio.

- 141 Declaratur hoc alio modo: Deus producit lucem solus, v. g. in principio creationis mundi, imo potest de facto solus Deus producere lucem quam simul producit cum sole, in eo autem casu talis lux producta respiceret, ordinareturque realiter ad Deum solum, tanquam ad producentem, eodem modo, quoad solem ordinaretur, si ab eo produceretur: sed Deus terminat hanc relationem sine propria vlla relatione reali, idque propriissime, & rigorosissime, quia lux propriissime, & rigorosissime dependet à Deo: ergo sol produciens sine vlla relatione potest terminare relationem lucis productæ.

- 142 Dices, magnum esse discrimen, nam creatura est capax relationis, Deus autem est incapax, & ideo Deus non terminat relatione alteram quam necessario terminat relatione opposita creatura.

- 143 Contra, & ex hoc ipso responso sic efformo argumentum; quia relatio essentialiter dependet à suo termino formali, quia est specificativum essentialit illius, vnde nullo modo potest dari talis relatio sine tali termino; sicut intellectus non potest dari sine intelligibili, &c. sed talis relatio, quæ est eiusdem speciei licet materialiter distinguatur numerice à relatione, qua lux producta

ipsa referretur ad solem, & ad Deum in casu in quo ab ipsis simul produceretur) quæ sine suo formali termino nullo modo potest esse, sufficienter conservatur, & refertur ad Deum solum, vbi datur summa incapacitas relationis prædicamentalis: ergo signum evidens est, quod relatio, quæ deficit in Deo, non erat terminus formalis huius speciei relationis, alias non daretur talis relatio lucis productæ ad solum Deum incapacem relationis; nam si relatio esset terminus formalis, ac proinde requisitus essentialiter, & formaliter ad illam relationem, talis relatio non esset in ordine ad Deum, in quo non datur capacitas habendi relationem; quæ per vos est ratio formalis terminandi, & sine qua relatio esse non potest vilo modo; vnde si non obstante tali incapacitate Dei datur, & terminatur illa relatio ad Deum, evidens est relationem effectus habere in Deo formalem terminum nempe absolutum, & sic relatio causæ non erit terminus formalis relationis effectus v. g. quia visio corporea petit pro obiecto formali, seu termino suæ relationis transcendentalis lucem, & colorem visibilitatem nimirum, & Deus est incapax talis visibilitatis corporeæ, per consequens est incapax visio corporea vt terminetur ad Deum, ordinetur ad ipsum, respiciat, & videat illum propter incapacitatem habendi lucem, & colorem in seipso, nam si visio illa non potest esse sine suo specificativo visibilitate nimirum, nec potest respicere, quod non habet illud, & Deus non potest habere illud: ergo de primo ad vltimum talis visio non potest respicere Deum propter incapacitatem suam, vnde ridiculum esset dicere, Deum videri per visionem corpoream, ex eo quod Deus sit incapax visibilitatis, ratione cuius existat sine visibilitate, non tamen posse videri hominem, quia habendo capacitatem ad habendam visibilitatem non habet illam; ridiculum enim esset hoc, imo, vt consequenter loquendum esset, deberent dicere, si talis visio non potest videri hominem, quia non habet visibilitatem, etiam si sit capax illius, à fortiori repugnare illi, posse videri Deum quoniam nec habet visibilitatem, nec est capax illius, sed potius omnino repugnare illi, & contra, si Deum videt talis visio per impossibile, in quo deficit visibilitas (propter omnimodam repugnantiam) à fortiori talem visionem videri hominem, licet illi deficiat visibilitas etiam si deficiat, vel non deficiat propter incapacitatem, quo supposito evidenter sequeretur, visibilitatem non esse terminum formalem visionis corporeæ, siquidem terminatur ad Deum, vbi nulla est visibilitas corporea, quia sine ratione formali alicuius non potest illud saluari, imo si eadem visio corporea videret hominem, & Angelum eundem, in quo nulla est visibilitas, etiam si datur visibilitas in homine, certe deberet dici visibilitatem hominis existentis prope Angelum visum esse per accidens ad visionem; siquidem per eandem visionem videtur homo, & Angelus, vbi nulla est visibilitas, nec capacitas ad illam, sed eadem relatio terminatur ad hominem generantem, vbi datur paternitas, & ad Deum, vbi nulla est paternitatis relatio propter incapacitatem Dei: ergo evidenter sequitur talem relationem filiationis non petere pro formali, essentiali, & necessario termino relationem paternitatis, quia si illam peteret, non posset terminare ad Deum, vbi nulla est relatio paternitatis, sed solum terminaretur ad hominem, vbi datur illa, sed vel

Quæst IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 769

vna, & eadem relatio terminatur ad Deum, & ad generantem vel relatio, quæ in luce terminatur ad Deum solum, quia solum producta est à Deo, est eisdem speciei cum ea, quæ terminatur ad solem producentem illam: ergo terminus formalis talium relationum eisdem speciei non est relatio formaliter ex parte termini, quia non correspondet in Deo talis relatio: sed potius erit absolutum esse producentis, ut producentis formaliter (reduplicando supra actionem formalissimam) quod est eisdem rationis in Deo, & in sole, siquidem aut est eadem numero productio respectu Dei, & solis, aut est eisdem speciei: quod autem relatio, quæ lux producta à solo Deo, & relatio, quæ lux producta à sole, & à Deo respicit solum Deum in primo casu, & Deum, & solem, in secundo casu sunt eisdem speciei formalissimæ, patet manifeste, quia quando rationes fundantur in illis sunt eisdem speciei, sed productio lucis à sole, & Deo, & productio eisdem lucis à solo Deo, licet distinguantur realiter numerice, non distinguuntur formaliter, & specificè: ergo relationes, quæ fundantur in talibus productionibus ex parte lucis non distinguuntur specie: minor hæc est clara, quia productio seu actio specificatur formaliter à termino: unde si terminus est idem formaliter licet agentia distinguantur maxime, productiones sunt eisdem speciei; sed terminus productus à solo Deo est lux dependens à subiecto, & terminus productus à sole, & Deo est eadem lux dependens à subiecto: ergo productiones illæ sunt eisdem speciei formaliter. Maior illa etiam est clara, quia relatio mensuratur, & proportionatur cum ratione fundandi propria quoad constitutionem, & distinctionem specificam, ut evidenti inductione supra probavi discurrendo per relationes unionis, convenientiæ, & productionis; unde relatio filij, quam dicit Petrus ad Paulum, & relatio filij, quæ Franciscus respicit Didacum sunt eisdem speciei, quia generationes, quibus illi generantur, & quæ sunt rationes fundandi talium relationum sunt eisdem speciei, & ratio est, quia terminus formalis productionis est idem formaliter ac terminus relationis ut late supra demonstravi.

145 Hoc etiam totum potest alio exemplo declarari, nam si B. Virgo postquam genuit Christum Dominum genuisset alium hominem purum, ad duos illos filios per vos vnica relatione maternitatis referretur, quia multiplicatis terminis, non multiplicantur relationes paternitatis, aut maternitatis; atqui ambo illi termini convenirent in terminando formaliter illam relationem; item convenirent in habendo esse genitum absolutum, & non convenirent in habendo relationem filiationis; siquidem Christus non haberet illam: ergo ratio terminandi in illis formaliter, in qua convenirent, non est in illis ex vi relationis, sed potius ex vi geniti absoluti: patet hoc, quia quando multa conveniunt in aliquo prædicato, non datur illud prædicatum in illis ratione differentie: sed potius ratione communis formalitatis, ut v. g. quia equus, & homo conveniunt in ratione videndi, &c. tale prædicatum non convenit homini rationalitatis, per quam distinguitur homo ab equo: sed potius ratione animalis formalissimæ, in quo conveniunt, & sic de cæteris, in quo nulla est dubitatio; sed

duo illi geniti à Virgine (per possibile, vel impossibile generarentur ab illa) convenirent in terminando relationem maternitatis: ergo talis ratio terminandi convenit illis, non propter relationem filiationis, quia in hoc differunt: sed potius propter esse genitum absolutum formalissimæ, in quo conveniunt.

SUBSECTIO V.

Quintum argumentum principale ponitur.

146 **A**lbedo refertur per similitudinem ad alteram albedinem; sed non refertur per similitudinem ad relationem, quæ est in alia albedine; ergo non refertur ad relativum; sed ad absolutum formaliter: patet hæc consequentia, quia albedo ut albedo, ad quam refertur alia albedo per similitudinem, est absoluta formalitas, & relatio quæ est in ipsa albedine est formalitas relativa; sed similitudo albedinis refertur formaliter ad albedinem, & non ad relationem: ergo refertur, non ad relativum, sed ad absolutum formaliter. Minor illa sic probatur, quia vnum simile refertur per relationem similitudinis ad aliud, quod est eisdem rationis cum illo, & convenit cum ipso in ratione qualitatis specificæ, & non ad terminum, qui est diversus ab ipso, & non est eisdem speciei infimæ cum illo; unde albedo non potest dicere relationem similitudinis ad nigredinem, nec calor ad frigiditatem, nec nigredo ad actionem, ubi, & cæteros modos, quia illa extrema non sunt eisdem speciei infimæ; sed potius prima differunt specie intra qualitatem, & posteriora differunt non solum specie; sed plusquam genere, propter quam rationem frigiditas respicit calorem relatione dissimilitudinis, & nigredo figuram, actionem, & ubi relatione diversitatis, & disconvenientiæ, maxime enim diversa sunt res, & modi, qualitas, ubi & actio, siquidem ad diversa prædicamenta pertinent.

Tunc sic, albedo non est eisdem speciei, nec 147 convenit in specie infima essentialiter cum relatione quæ est in altera albedine; sed potius disconvenit cum illa; ergo albedo non refertur ad illam formaliter per relationem similitudinis. Minor sic probatur, qualitas realis absoluta, & modus relativus formaliter nullo modo conveniunt in specifica ratione qualitatis: sed potius plusquam genere differunt, disconveniunt, & diversificantur maxime; sed albedo est entitas qualitativa absoluta realis, & relatio, quæ existit in alia albedine est modus relativus formaliter, & non absoluta entitas: ergo albedo, & relatio, quæ existit in alia albedine non sunt similia; sed potius dissimilia: ergo albedo non respicit talem relationem per relationem similitudinis; sed potius per relationem dissimilitudinis: ergo si albedo refertur per relationem similitudinis, debet referri ad alteram albedinem, quæ convenit cum illa in ratione qualitatis absolutæ speciei, & essentialiter.

148 Declaratur hoc à contrario sensu, quia albedo refertur ad nigredinem relatione dissimilitudinis, quia nigredo disconvenit cum albedine; sed non disconvenit cum albedine in quantum nigredo habet relationem dissimilitudinis, & in quantum relativa est formaliter per relationem dissimili

disimilitudinis distinctam ex natura rei ab ipsa nigredine, sed in quantum nigredo est qualitas absoluta distincta essentialiter ab albedine, quatenus per differentiam essentialem constituitur in esse differentis specificæ ab ipsa: ergo albedo non refertur ad relativum formaliter, sed ad absolutum: patet hæc consequentia, quia nigredo in tantum terminat relationem disconvenientiæ albedinis in quantum est qualitas absoluta distincta essentialiter à nigredine, & non in quantum dicit relationem disconvenientiæ; sed qualitas absoluta in quantum talis est terminus absolutus, & in quantum habet relationem, est terminus relativus: ergo albedo refertur ad nigredinem relatione disimilitudinis, in quantum est absoluta & non in quantum est relativa, ac proinde terminus illius relationis erit absolutus formaliter, & non respectivus.

149 Maior illa prima iam sæpe satis probata est, quia disimilitudinis relatio fundatur in disconvenientia duarum qualitatum: sicut relatio differentie inter substantias fundatur in disconvenientia substantiali, & ideo equus refertur ad hominem relatione differentie in quantum disconvenit essentialiter equus cum homine. Tandem una quantitas dicit relationem inæqualitatis ad alteram, quia disconveniunt in magnitudine, & extensione molliis, & ideo una quantitas refertur ad aliam minorem quantitatem relatione disimilitudinis, aut inæqualitatis in quantum una disconvenit cum altera: ergo in tantum albedo dicit relationem disimilitudinis ad nigredinem, in quantum essentialiter disconvenit ab illa.

150 Minor prima, in qua est difficultas quoad primam partem sic probatur; quia ea quæ conveniunt in aliqua ratione, in ipsa non disconveniunt; sed albedo, & nigredo conveniunt in esse relativorum, & in habendo relationem disimilitudinis; nam sicut albedo habet relationem disimilitudinis ad nigredinem, ita similiter nigredo habet relationem disimilitudinis ad albedinem; unde licet in esse qualitatum diversarum specierum secundum prædicata absoluta expressa, videlicet secundum quod albedo est disgregativa visus, & nigredo est congregativa visus, disconveniunt essentialiter, nihilominus in ratione relativi, & in ratione habendi relationes disimilitudinis conveniunt: ergo in tali conceptu habendi relationem non disconveniunt. Secunda pars minoris luce ipsa meridiana clarior est; nam qualitates diversæ speciei, & oppositæ disconveniunt secundum quod tales qualitates absolute sunt: sed nigredo, & albedo ut sic sunt tales qualitates specie distinctæ, & oppositæ: ergo nigredo, & albedo secundum quod tales qualitates sunt, disconveniunt.

151 Tunc sic, contrariorum eadem est disciplina, & ratio; sed albedo dicit relationem disimilitudinis ad absolutum nigredinis, quatenus distinguitur ab ipsa, & non ad relationem disimilitudinis, quæ est in nigredine, quia propria disimilitudo provt distinguitur à disconvenientia est inter duas qualitates: ergo è contra albedo dicit relationem similitudinis, quatenus absoluta est, non ad similitudinem, quæ est in alia albedine (quia illa non est entitas absoluta sed respectiva, ac proinde non est similis albedini, ut qualitas absoluta est, sed potius est in tali ratione disconveniens ipsi) sed ad entitatem absolutam albedi-

nis, quia talis entitas absoluta albedinis est similis ipsi.

SVBSECTIO IV.

Sextum argumentum principale ponitur.

Sexto efficaciter argumentor evertendo fundamentum oppositæ sententiæ, quod ad omnem relationem extendunt adversarij.

Fundamentum enim adversariorum est, quod omnis relatio mutua immediate, & formaliter per seipsam est opposita alteri relationi v. g. maternitas filiationi, ita ut idem sit formalissime in paternitate conceptus paternitatis, ac conceptus oppositionis; cum autem maternitas quatenus est opposita formaliter filiationi debeat immediate referri ad filiationem, inde est quod ut maternitas formaliter, & immediate debeat etiam referri ad filiationem, quod patet ex argumento oppositionis, quo utitur P. Rubius pro sua conclusione.

Sed hoc fundamentum est omnino falsum: ergo falsum est dicere, quod maternitas immediate formaliter, & per se refertur ad filiationem. Minor hæc, in qua est tota difficultas, sic demonstratur, quia maternitas ut sic est vera paternitas, & nihilominus in suo conceptu formali non dicit oppositionem actualem, & formalem cum filiatione, quatenus relatio est formaliter: ergo distinctus conceptus est conceptus maternitatis à conceptu oppositionis formalis ad filiationem: probatur hæc consequentia, quia ea quæ separantur in aliquo, distinguuntur inter se; sed maternitas, & oppositio formalis immediata ad filiationem separantur in maternitate ut sic: ergo oppositio formalis, & ratio maternitatis distinguuntur formaliter inter se. Maior est evidens axioma in metaphysica, quia idem non potest separari à seipso, alias esset, & non esset idem: minor sic probatur: quia ea separantur in aliquo, quando uno existente in illo, alterum non existit in ipso; sed in maternitate ut sic datur ratio maternitatis, & non datur ratio oppositionis formalis immediata cum filiatione: ergo ratio maternitatis, & ratio oppositionis formalis, & immediata cum filiatione separantur in maternitate ut sic. Minor hæc sic patet: quia si in paternitate ut sic daretur oppositio formalis, & immediata ad filiationem, omnis & quæcunque relatio maternitatis haberet rationem formalem oppositionis: sed non omnis maternitas habet oppositionem formalem cum filiatione: ergo maternitas ut sic non habet in suo conceptu formali rationem oppositionis formalis cum filiatione. Maior est certa, quia quidquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo secundum illud axioma, dici de omni: sed non omni maternitati convenit, &c. ergo. Minor illa sic probatur: quia maternitas Virginis est vera formalis, & essentialiter maternitas: atqui maternitas Virginis non habet oppositionem formalem, & immediatam cum filiatione: ergo non omni maternitati convenit ratio oppositionis formalis: minor hæc sic probatur: quia non datur oppositio immediata, & formalis ad filiationem, nisi quando ex parte termini maternitatis correspondet relatio filiationis; sed ex parte Christi non correspondet maternitati Virginis relatio filiationis: ergo mater-

Quaest. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 771

nitatis Virginis non habet oppositionem formalem cum filiatione: ergo maternitati vt sic non conuenit formalissime oppositio cum filiatione: ergo supparantur in maternitate vt sic ratio maternitatis, & oppositionis: ergo ratio oppositionis, & maternitatis non sunt idem formaliter, an proinde licet oppositio relativa terminetur ad relativum, non ideo debet necessario colligi, ipsam maternitatem ad relationem terminari; sed potius debere terminari ad absolutum genitum, & idem argumentum potest fieri in relatione effectus vt sic conuenientiae, & disconuenientiae quae prout terminantur ad Deum, non correspondent illis aliae relationes; unde in ipsis ratio relationis identitatis conuenientiae effectus non est idem formalissime, quod relatio oppositionis formaliter cum alia relatione, siquidem in aliquibus saluatur realiter ratio conuenientiae, &c. sine oppositione formali ad aliam relationem, ac proinde in relatione conuenientiae, & effectus distinguuntur formaliter tales respectus: ergo ex eo quod oppositio terminetur ad relativum conuenientiae, disconuenientiae, & relatio effectus non debent terminari ad relativum. Ad hoc respondet P. Rubius in *Logica*, q. 7. de relatione §. Ad argumentum primae opinionis, concedendo quod talibus relationibus sub ratione relationis vt sic, quae est quasi genus ad relationes mutuas, & non mutuas non conueniat terminari ad relativum, conuenire tamen illi ex eo quod sit relatio mutua.

155 Sed contra primo, nam relatio paternitatis, v. g. quae mutua est, quatenus dicit coexistentem relationem sibi oppositam, non habet differentiam essentialiam, qua differat a non mutua: ergo quidquid conuenit illi, vt dicit relationem alteram sibi coexistentem, non est essentialiter ipsi: sed oppositionem formalem actuale dicit, vt habet illam coexistentem: ergo illa oppositio actualis, & formalis non est essentialis: ergo paternitas non refertur per suam entitatem, & essentialiter immediate, & formaliter ad filiationem: sed potius ad genitum immediate, & formaliter, & mediate, remote, & accidentaliter ad filiationem, non per se; sed media oppositio formali, sibi superaddita a parte rei, & a se ipsa ex natura rei distincta. Unde terminus formalis, essentialis, & immediatus paternitatis est absolutum genitum, & terminus formalis, immediatus, & essentialis filiationis non est paternitas: sed generans absolute; terminus autem oppositionis formalis immediatus erit paternitas respectu filiationis. Probatur Antecedens, quia nec relatio creaturae habet aliquid minus essentialiter, ex eo quod non coexistat illi relatio creatoris, nec paternitas quidquam minus haberet entitatis, & essentialis, si Deus impediret relationem filiationis, quia essentia simplex, vt est essentia relationis cum non habeat partes phyficas, aut tota existit, aut nihil illius.

156 Tandem relatio definitur, quod est accidens, cuius totum suum esse est ad aliud; per illud aliud non semper intelligitur altera relatio, quia alias vel non daretur vnum supremum genus, sed duos vel idem poneretur in sui definitione; item quia similitudo in communi non potest referri ad aliam relationem, quia alias referretur ad aliam similem, cum sit relatio aequiparantiae: sed praeter similitudinem in communi non est alia similitudo, cum sit ratio communis abstracta.

R. P. Ildaph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

ab omnibus similitudinibus, alias darentur duae similitudines vt sic, quod est inauditum, & absurdum maximum; nam vel secunda similitudo vt sic abstrahitur ab omnibus similitudinibus, vel non abstrahitur; si non abstrahitur: ergo non est similitudo vt sic, & sic non dabantur duae similitudines vt sic, sed vna sola; si abstrahitur ab omnibus: ergo ab eisdem abstrahitur, a quibus prima similitudo vt sic; ergo non est alia a prima similitudine vt sic; sed eadem, quia ab eisdem inferioribus non possunt duae rationes superiores aequales abstrahi, quia abstracta prima, iam non remanet quid abstrahatur vt fiat secunda ratio communis, & sic non possunt dari duae paternitates vt sic, nec duo accidentia vt sic, seu duae substantiae vt sic: ergo non potest dari duplex similitudo vt sic; ergo non omnis similitudo refertur necessario ad relationem; sed vna ad relationem, vt similitudo inter duas paternitates, & altera ad absolutum, vt similitudo inter duo alba: unde similitudo vt sic refertur ad conueniens sibi prout abstrahit a relativo, & absoluto.

SVBSECTIO VII.

Vltimo probatur nostra sententia auctoritate Aristotelis.

Aristoteles aperte docet, relationem sibi immediate oppositam, vt paternitatem, non referri immediate, & essentialiter ad filiationem, sed potius ad genitum absolutum; verba enim Aristotelis reperiuntur *lib. 5. met. cap. 15. vbi* docet clare, ideo visum non referri ad visibile sub hac formalitate, quatenus visibile constituitur ab ipso visu extrinsece sive in esse visibilis, sive in esse visi, quia committeretur in definitione illorum inutilis circulus, cui doctrinae consentiens S. Thomas 1. p. q. 25. art. 3. docet, omnipotentiam Dei non recte defini per creaturam eadem omnino ratione, quia esset inutilis circulus, in definitione, atque idemmet eodem prorsus modo esset si Pater referretur ad filium, & per illum definiretur; ergo si in visu, & intellectu, quia quibusdam dicuntur relativa tertij generis non mutua, putavit Aristoteles illud esse incommodum, idem in paternitate respectu filiationis existimari debuit; aut si in his nullum est, etiam nullum erit in intelligibili, & visibili respectu visus, & intellectus.

Deinde Aristoteles in praedicamentis, cap. de 158 relatione nunquam dixit: proprium esse relativorum, vt non possit vnum cognosci, nisi cognito alio sub formali ratione relatis; sed non posse relatum cognosci, nisi id ad quod refertur, cognoscatur, quod verissimum est de termino etiam absoluto, vt cognosci non possit relatum, nisi cognoscatur terminus ad quem est relatum, quae etiam ratione definiens Aristoteles, quod non tantum dicitur: sed est ad aliud non dicit relatum est, quod est ad aliud relatum: sed cuius totum esse est ad aliud; alias committeretur circulus vitiosus; nam si Pater ad filium referretur, & filius ad Patrem formaliter, sine dubio Pater per filium definiretur, & filius per patrem; unde de primo ad vltimum patrem per se ipsum & filium etiam per se ipsum definiremus, & sic definitio esset aequae ignota, ac definitum, quod est absurdum.

D d d d d

dum. Probatur illud, nam si diceremus, quid est Pater? & responderemus, est habens filium, & quid est filius? est habens Patrem, sine dubio filius esset habens illum, qui habet filium, & sic idem per idem, dum vnum per aliud, & e contra definiretur.

159 Dices in absolutis esse absurdum circulum, non autem in relativis.

160 Sed contra evidenter, quia absurda, quæ sequuntur in circulo absolutorum sunt: primum quod idem per idem definiatur: secundum, quod definitio sit æque obscura, ac definitum, quæ absurda sunt contra lumen naturale, & contra principia bene definiendis eadem absurda, & inconvenientia sequuntur in relativis, ac in absolutis, & ideo huiusmodi circulus communiter appellatur vitiosus ut in omnibus vitium, & defectus illius ostendatur.

161 Deinde etiam in relativis incideremus in nugationem repetendo definitum in definitione relativi, ponendo definitionem nominis positi in definitione loco ipsius nominis, hoc modo: pater est eius cuius est pater; si pater per filium definiretur, quod absurdum insinuat Aristoteles 5. *metaph.* 5. ubi ostendens quo pacto quædam dicantur referri ad aliud, quia alia prius ad ipsa referantur, à quibus denominationem accipiunt, ita inquit; mensurabile, seibile, & intelligibile eo quod aliud ad illud dicitur, hoc ideo hæc omnia relate dicuntur ad aliud, quia prius ad ea alia dicuntur, subdit rationem his verbis; nam intelligibile significat quod eius est intellectus: non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est, idem enim profecto bis dictum esset, quasi dicat, ideo vocatur aliquid intelligibile, quia circa illud versari potest intellectus; intellectus autem non refertur ad obiectum intelligibile quatenus intelligibile est ab intellectu, seu denominatur ab illo quia diceretur etiam referri ad id, cuius est intellectus, & sic idem bis diceretur, unde daretur nugatoria repetitio.

162 Prosequitur idem Aristoteles alio exemplo, hoc modo, similiter, & visus cuiusdam est visus, non cuius est visus, & si verum est hoc dicere, sed ad colorem, vel aliquid aliud tale, illo vero modo idem bis diceretur, quod visus est, cuius est visus.

163 Quare illis verbis cuius est visus non intelligit Aristoteles subiectum visus ut falso interpretati sunt Commentator, & Alexander, quorum enim disputans de his relativis, diceret non referri ad subiectum, quia idem bis, hoc est ad duo referretur: hoc enim non esset absurdum, unde referri paternitatem ad fundamentum filiationis nullum est inconveniens, sicut nullum est absurdum, oppositionem formalem, & actuale fundamentum in paternitate referri ad filiationem, quæ est fundamentum alterius relationis oppositionis, & ratio evidens est, quia fundamentum filiationis non definitur per paternitatem, quia est prius illa, ac proinde non dependet ab ipsa: nec in suo esse, nec in sui cognitione, potius enim paternitas dependet à tali fundamento filiationis, tam in suo esse, quam in sui cognitione; unde si definiatur paternitas per illud, nullum sequeretur inconveniens, quia illud fundamentum, quod est terminus paternitatis, iterum non definitur per paternitatem; sequeretur quidem maxima absurda, si iterum ipsum definiretur per paternitatem; nam primo idem bis diceretur: secundo, idem

esset simul prius, & posterius respectu eiusdem: tertio daretur circulus vitiosus: quarto definitio eorum esset notum per ignotius explicare, quæ sunt summa absurda; at tamen definire relationem patris per genitum, quod est prius illa, & à quo dependet paternitas, & in eo siltere definitionem, nihil reperio inconvenientis; sicut nihil absurdi adfert secum, definire oppositionem formalem fundatam in paternitate per filiationem priorem natura ipsa oppositione, terminumque formalem suæ dependentiæ, cum talis filiatio nequaquam iterum definiatur per oppositionem, esset vero sine dubitatione magnus defectus, ut dixi, si oppositio, & filiatio essent simul natura, quia simul resisterent (sicut paternitas, & filiatio simul natura sunt, propter simultaneam resultantiam utriusque) & hæc per illam, & e contra definiretur, quare istam definitionem non damnavit Aristoteles ut vitiosam, quia hoc ad rem facere non videbatur.

Intelligit igitur Aristoteles illis verbis visibile, aut intelligibile, (quod subiectum, circa quod dicitur) sub denominatione extrinseca ab ipsa visione proveniente si hæc sit denominatio visi si visibile ut multi asserunt, & ita ait, visus dicitur ad aliquid, non ad id, cuius est visus, id est ad id, quod formaliter constituitur à visu, & ideo dependet ab illo in esse, & cognosci, ac proinde iterum necessario definiendum est per illud v.g. si visus per visum, vel per visibile extrinsece denominatum à visione definiretur; nam si definiatur visus seu visio per ordinem ad visibile, & intellectio per intelligibile, non ut denominantur, & constituuntur in esse visibilibus, & intelligibilibus, sed potius ut supponuntur in esse obiectivo secundum non repugnantiam, & veritatem transcendentalem entis, quod potest facere eximiationem sui, & secundum quod visibile est aut lux sola, aut color imbutus luce, & illuminatus ab ipsa, nullum inconveniens sequeretur ex tali modo definiendi; e contra vero sequeretur inconvenientia dicta, & sic bis diceretur per repetitionem eiusdem definiti in definitione.

164 Addit, vel quid aliud, confirmando id, quod 163 dicimus, ut lucem comprehendat, & colorem in definitione visi sine ullo inconvenienti, quod aliter eveniret si visum per visibile, ut constituitur à visione definiretur; quod autem in hoc sensu loquatur de visibili, & intelligibili, patet manifestè; siquidem Philosophus probat, visibile, & intelligibile dici à visu, & ab intellectu, quia visus, & intellectus referuntur ad res, quæ taliter denominantur ratione talis terminationis ad ipsas.

165 Adiecit autem per parenthesis, & si verum est hoc dicere, quia vere dicimus visus est ad visibile, ut non repugnans, & quatenus præsupponitur ad omnem denominationem acceptam ab ipsa visione; quibus verbis vitare contendit inconvenientia dicta supra, & quamvis verè dicamus vnum relatum esse alterius relati, ut dimidium dupli dimidium, & pater filij pater, nihilominus nobis non rectè ignotescit natura relati talibus modis loquendi, quare licet vulgariter illis modis utamur, dum tamen rectis, & Philosophicis definitionibus nobis explicanda est natura relati, funditus debemus illos destruere, ne puerilem nugationem committamus, & ita mathematici non definiunt dimidium hoc modo, quod est dupli dimidium, sed ita, quod bis sumptum reddit totum,

Quæst. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 773

totum quod nobis docuit Aristoteles *5. met. c. 12.* ubi definitens potentiam activam, non per passivam, quæ est correlativa: sed potius hoc modo definitionem tradit, principium transmutativum in altero, prout alterum est; ecce quomodo non dixit, esse transmutativum principium transmutabilis: ut transmutabile est: sed in altero prout alterum est: sic etiam Pater non recte definitur, qui habet filium, quia rursus dicere deberemus, filium esse, qui habet Patrem, & ita æque ignotum vnum, atque alterum post definitionem maneret: sed dicere debemus, Patrem esse vivens quod produxit aliud vivens in similitudinem naturæ à principio coniuncto; sic enim videtur definitione quoque generationis, quæ non traditur per ordinem ad genitum, sed ad substantiam absolutam; si autem in ordine ad genitum daretur definitio hoc modo, est productio geniti, ridicula esset definitio, nec naturam illius explicaret, cumque eodem modo referatur generatio, & Pater, si generatio refertur ad absolutum, ut sine dubio refertur, ut pater ex supradictis, & per illud definitur; ergo evidenter sequitur, idem dicendum esse secundum mentem Aristotelis de Patre, & his probata manet hæc nostra secunda conclusio.

168 Vt autem ex ipso Aristotele, prima nostra conclusio demonstretur (contra P. Vasquez, qui videtur loco Aristotelis ad probandum nullam relationem posse terminari ad aliam relationem, sed omnes referri necessario ad absolutum,) verba P. Vasquez hæc sunt *tom. 2. 1. p. disp. 159. cap. 6. §. ego.* ego quidem fateor relatum in creaturis nullum referri formaliter ad aliud relatum, sed ad absolutum, idque mihi suadeo ex Arist. *lib. 5. met. cap. 15. &c.* in medium adduco Aristotelem *lib. 2. Elenc. cap. 6. nam. 1. lib. cap. 3.* difficultatem proposuit in hunc modum; si nihil refert loco nominis ponere orationem, hoc est explicationem eius, facile homines cogentur nugari, hoc est idem bis inaniter repetere; cum enim duplum explicatum per orationem idem sit, quod simpli duplum, si dicat aliquis, simpli duplum idem erit ac si dicat, simpli simpli duplum, accipiendo pro illo vocabulo duplum; (quod erat in priori oratione) definitionem illius nempe simpli duplum, & si iterum pro duplo, quod erat in ea posteriori oratione, simpli duplum ponas eius definitionem dicere poteris, simpli simpli simpli duplum.

169 Huic objectioni respondet Aristoteles in *eo 2. lib. cap. 6.* obscuris admodum, & confusis verbis, ex quibus quasi ex nuce maxime elausa hoc nucleum possumus eruere, & educere, nempe hæc nomine ad aliquid relata non significant idem coniunctum, atque separata, eo quod separata à termino relatio significant, aut explicantur per orationem, in qua ponitur terminus relatus, ut cum dicimus duplum est simpli duplum, sed cum ponuntur in oratione simul cum termino relato, non significant, hoc est non debent eodem modo explicari, addito iterum termino relato; quare duplum positum in oratione cum simplo, ut dicimus duplum simpli, non debet iterum explicari per simplum, dicendo est simpli simpli duplum, sed potius debere explicari per fundamentum alterius relationis prius ambabus relationibus: ergo eodem modo dicere possumus, etiam si vnum relatum definiatur per aliud relatum, ut pater per filium loco relati positi in definitione non licere ponere definitionem eius, quatenus relatum est

R. P. Radeph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

formaliter, quia posita vere in nugationem incideremus, eo quod licet illud relatum per se sumptum explicetur per aliud relatum simul natura cum ipso, positum tamen in definitione, & coniunctum cum alijs non possit per relatum aliud specificative sumptum addit Aristoteles, quare relatum ad aliud prius causa certe relatum referri, definire quidem sine nugatione contingit.

170 Ecce quomodo Aristoteles absolute docet, non debere vnum relatum per alterum sibi simul relatum defini, quia non refertur ad illud, sed potius definiendum esse vnum relatum per id quod est prius natura se in altero relativo: unde licet patrem formaliter, ut patrem non possumus definire per filium formaliter ut filium, nihilominus possumus definire per substantiam genitam; quia talis substantia est prius natura paternitate, & est causa specificativa paternitatis, quæ iterum non definitur per paternitatem, ac proinde sine nugatione in eo casu definitur paternitas: addit Aristoteles ut constat ex verbis nuper adductis, hoc etiam posse contingere, hoc est posse defini vnam relationem per alteram relationem, si altera relatio, per quam definitur hæc non sit simul natura cum illa, sed potius prior relatione definita, ex eo quod talis relatio sit terminus alterius relationis definitæ, ex cuius positione cum fundamento illius resultat relatio, ut videre est in hoc exemplo manifesto, licet enim paternitatem non possumus definire per filiationem, nihilominus relationem oppositionis, quæ fundatur in paternitate optime possumus definire per filiationem, dicendo, oppositio est repugnantia formalis paternitatis respectu filiationis; sicut etiam possumus definire similitudinem quæ datur in paternitate respectu alterius paternitatis non per alteram similitudinem (quæ existit in altera paternitate, quia ibidem vitium committeremus, propter rationes dictas) sed per alteram paternitatem, quæ est terminus formalis illius, & causa specificativa eiusdem, dicendo est convenientia formalis vnius relationis paternitatis cum altera paternitate, quatenus ambæ sunt rationes referendi generationem ad genitum, quæ definitio nullum nugationis peccatum, aut circuli, & inutilis repetitionis committit; quia iterum paternitas, & filiatio, per quas definiuntur similitudo, & oppositio paternitatis, non definiuntur per oppositionem, & similitudinem dictas.

171 Itaque Aristoteles quando in primis verbis à nobis adductis ex *5. met. & ex cap. ad aliquid negat*, relationem defini per alteram non negavit universaliter ut falso asserunt adversarii aliquam relationem posse defini per alteram; siquidem in secundis verbis adductis ex *2. lib. Elenc. cap. 3. & 6.* evidenter colligitur, vnam relationem posse defini per alteram; solum enim docuit duas relationes simultaneè resultantes, & quæ simul natura sunt, non posse vnam per aliam defini, ut paternitatem per filiationem, & filiationem per paternitatem, quia committerentur absurda dicta; quod autem vna relatio definiatur per alteram, quæ est prior natura se, & terminus ipsius omnino independens in suo esse, & in sui cognitione à relatione definita non solum non negavit Aristoteles, sed etiam clarissime docuit, & demonstravit, ut patet ex adductis à nobis, ex quibus concludo manifeste, & aperte utramque nostram conclusionem docuisse Aristotelem.

SECTIO III.

Nostra ultima conclusio ponitur.

172

SVBSECTIO I.

Prima ratio proponitur.

173

174

175

176

еже

9

20

Quaest. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 775

neque talis relatio est in Deo, nec pertinet ad Deum, tanquam id quod existit in ipso, ut possit terminare talem relationem: ergo ex eo quod relatio creaturae terminetur ad seipsam, aut ad aliam relationem etiam existentem in creatura non potest dici terminari ad Deum, quia Deus non est creatura, quae terminatur, sed potius quid omnino distinctum a creatura terminante, ac proinde Deus secundum nihil sui terminat talem relationem, ac proinde nullo modo terminabit illam: ergo falsa est solutio Caietani, quod evidenter sic convincitur.

179 Quia nullo modo potest dici, cognitionem reflexam per quam intellectus se cognoscit esse cognitionem Dei, vel cognitionem intellectus ad Deum aut scientiam ad ipsum Deum, ex eo quod scientia reflexe se cognoscat, nec potest vilo modo asseri, referri scientiam per cognitionem reflexam ad Deum, tanquam per relationem transcendentalem, & ratio evidens est, quia talis cognitio reflexa non respicit Deum, quia respicit scientiam, quae non est Deus, sed etiam relatio creaturae non respicit Deum, sed vel seipsam, vel aliam relationem existentem in ipsa creatura: ergo talis relatio non est creaturae ad Deum, patet minor, quia nihil aliud respicit relatio nisi id, quod est terminus formalis illius, & ideo asserunt adversarii, patet terminum respicere formaliter filiationem, & non scientiam, aut arborem, quia sola filiatione est terminus formalis paternitatis, & non arbor aut patres, sed relatio creaturae non habet pro termino formali Deum, sed relationem creatam, quae minime est Deus, nec in Deo existit, & sic asserunt ipsi, terminari ipsam relationem creaturae ad relationem existentem in creatura ipsa: ergo talis relatio non respicit ut quod Deum, nec refertur ut quo, aut tendit ad ipsum: ergo non est respectus, nec relatio, aut tendentia ad ipsum, ut ex ipsis terminis liquido, & evidenter patet; quia id est respectus, tendentia, & relatio quod respicit, tendit, & refertur ut quo, & illa est relatio ad aliquem, quae tendit ad illum ut quo, sicut illa est productio hominis, & non equi, quae producit ut quo hominem, & non equum sed illa relatio, licet respiciat ut quo, non respicit esse Dei, sed relationem creatam: ergo non est relatio ad Deum, sed ad relationem creatam: ergo Deus nullo modo est terminus talis relationis.

180 Dices, Deum esse terminum per denominationem quandam extrinsecam, atque adeo per aliquid existens in alio intrinsece, & extrinsece denominans ipsum Deum, quod est relatio existens in ipsa creatura.

181 Sed contra, quia omnis forma denominans extrinsece aliquid subiectum debet terminari ad illud, saltem extrinsece; sed nulla relatio existens in scientia terminatur ad scibile, neque existens in creatura terminatur ad creatorem saltem extrinsece: ergo non denominat illud extrinsece; (loquitur enim de forma relativa, sive transcendentaliter sive praedicamentaliter, extrinsece denominante) maior est certissima; nam ideo cognitio denominat extrinsece cognitum obiectum, quia saltem extrinsece terminatur ad illud, & respicit ipsum, & actio denominat agens extrinsece, quia actio extrinsece transcendentaliter terminatur ad agens, & relatio paternitatis creatae extrinsece denominat in vestra sententia, & in omnium proprium terminum in esse actualiter terminantis, quia actualiter extrinsece termina-

tur ad illum, alias non esset ratio certa ad discernendum, cur haec forma relativa denominat extrinsece hoc potius subiectum quam illud; unde si non terminatur ad illud extrinsece nulla erit ratio cur extrinsece denominet illud; sicut maxima est ratio ut denominet extrinsece subiectum ad quod extrinsece terminatur, & refertur, synonyma enim sunt referre, & terminari extrinsece ad aliquem: minor est certissima in sententia Caietani, quia si aliqua relatio creaturae extrinsece terminaretur, & referreretur ad esse increatum Dei, referreretur ad esse absolutum, & non ad relativum, siquidem esse increatum Dei est absolutum, & non relativum per vos; unde iam relatio non mutua non terminaretur, nec referreretur ad relativum; sed ad absolutum, & ideo chimerizavit dicendo, talem relationem non mutua non terminari ad esse increatum Dei, sed ad esse creatum relationis existentis in creatura.

Evidenter hoc totum convincitur, quia omnis forma quae denominat subiectum, debet aliquomodo pertinere ad ipsum, & secundum aliquod praedicatum proprium ei convenire, sive extrinsece, sive intrinsece, alias si nullo modo talis forma pertinet ad illud subiectum, nec vilo modo illi correspondet secundum aliquid sui nullo modo potest denominare illud, nec causare in illo effectum formalem denominationis, ut videre est in anima rationali, quae nullo modo denominat parietem, quia nullo modo pertinet ad parietem, aut convenit illi, aut extrinsece, aut intrinsece, & cognitio solius Leonis nullo modo denominat extrinsece Angelum, quia nullo modo extrinsece pertinet ad Angelum per terminationem, & tendentiam, quod per omnes formas discurrunt liquidius, & evidenter patebit, quam lux meridiana oculis: sed relatio illa ut a te ponitur, nullo modo pertinet ad Deum, neque extrinsece, neque intrinsece: ergo nullo modo denominat Deum extrinsece, &c. Minor haec sic demonstratur, quia in relatione solius duobus reperiuntur, id est formalitas, In, & formalitas, ad, sed formalitas in, in relatione solum correspondet subiecto, in quo talis relatio intrinsece est, & inheret ut de se patet in omni relatione: unde paternitas pertinet solum ad generantem per formalitatem, In, quia solum in generante intrinsece est, & inheret paternitas; sed relatio creata, quae terminat relationem creaturae nullo modo intrinsece existit in Deo, quia quidquid in Deo est, Deus est, & vos ipsi dicitis in Deo non dari relationem: ergo secundum esse, In, nullo modo pertinet relatio creata ad Deum, ac proinde secundum esse, In, nullo modo potest denominare Deum in esse actu terminantis.

Formalitas ad, relationis solum convenit relationi in ordine ad aliquod subiectum, ad quod tendit, & ad quod terminatur talis relatio, & quod est terminus tendentiae, & respectus relationis, ut ex ipsis terminis patet, sed relatio creaturae non terminatur ad Deum, quia esse Dei est absolutum, & non relatio; sed terminatur, & respicit, ac refertur ad relationem existentem in creatura: ergo relatio secundum esse, Ad, nullo modo pertinet ad Deum extrinsece: ergo nihil est in relatione, quod possit denominare vilo modo Deum, ac proinde Deus nullo modo dicitur terminare relationem, ex eo quod relatio quae minime est Deus, ac proinde non est in Deo: sed

D d d d 3 extra

extra Deum, & quæ minime pertinet ad Deum terminet relationem, quæ est in creatura.

184 Efficacius vrgetur, quia relatio quæ terminat aliam relationem, extrinsece denominatur à relatione tendente ad ipsam; vnde actu terminare in relatione, quæ terminus est; est extrinseca denominatio, & concretum resultans ex illa est extrinsece denominatum; sed vna extrinseca denominatio physica, & realis non potest denominare aliud à parte rei tale, aliàs posset dari processus in infinitum; nam illud aliud posset denominare aliud, & illud aliud, & sic in infinitum, quia non est maior ratio vnius quam alterius, & exemplis manifestis demonstratur; nam licet visio denominet obiectum sive proximum, sive remotum, sive mediatum, sive immediatum in esse visi extrinsece, nihilominus ipsum obiectum visum, & quod extrinsece denominatur à visione, non denominat aliud extrinsece visum, quia alias esset visum ab obiecto quod non videt, cum non possit denominari à potentia vidente, siquidem solum videt obiectum, quod ipsa denominat in esse visi, vnde esset visum, & non visum illud alterum denominatum quod est maximum inconueniens: ergo pro certissimo habendum est, nullum denominatum extrinsece per physicam, & realem denominationem posse denominare aliud, etiam extrinsece tale; sed relatio existens extra Deum in creatura extrinsece denominatur in esse actu terminantis à relatione, quæ refertur extrinsece ad illam: ergo illa iterum non potest denominare Deum extrinsece terminantem: ergo Deus ratione relationis existentis in creatura, & terminantis aliam existentem in creatura, non potest extrinsece denominari actu terminans relationem creaturæ.

185 Dices, Deum non esse terminum formalem, & immediatum talis relationis, sed materialem, & mediatum.

186 Sed contra manifeste, quia ille est terminus materialis, & medius relationis oppositæ, quod est fundamentum relationis terminantis illam, formaliter, & immediate; ideo enim dicitur, genitum esse terminum materialem, & mediatum respectu paternitatis, quia est fundamentum, & subiectum relationis filiationis, quæ terminat immediate, & formaliter paternitatem, & idem est de cæteris, vt discurrunt per illas liquefieri; sed Deus non est subiectum, & fundamentum, in quo existit relatio prædicamentalis quæ terminat relationem creaturæ; (Deus enim nullam relationem prædicamentalem fundat in se, vt ex terminis patet suppositis in quaestione contra Caietanum) est autem fundamentum talis relationis terminantis aliam, ipsa substantia creaturæ, in qua fundatur immediate, & proxime, vtraque relatio referens, & terminans: ergo nullo modo erit Deus terminus materialis, medius, & remotus relationis creaturæ, sed potius talis erit ipsa substantia creaturæ, ac proinde talis relatio non erit creaturæ ad Deum vlllo modo, nec immediate, nec mediate, nec formaliter, nec materialiter, sed potius creaturæ ad seipsam; vnde erit, & non erit ad Deum, quod summum absurdum, & impossibile iudicat evidentissimum illud metaphysicæ axiomæ impossibile est idem simul esse, & non esse.

187 Præterea per id debet terminare Deus relationem creaturæ, per quod causat Deus creaturam, quia talis relatio creaturæ est relatio effectus ad causam; sed Deus non creauit, produxit, causauit,

aut effecit creaturam puram relationem existentem in creatura, sed per omnipotentiam absolutam suam: ergo non per relationem existentem in creatura, sed per absolutam omnipotentiam terminat relationem creaturæ: ergo terminus illius non est relatio, sed absolutum.

SVBSECTIO II.

Alia argumenta contra Caietanum ponuntur.

Secundo sic argumentor contra Caietanum, 188 qui asserit, scibile referri realiter ad scientiam per relationem existentem in scientia, ac proinde per ipsam terminare relationem scientiæ; tunc sic, eadem numero forma non potest dare effectum formalem oppositis subiectis; sed fundamentum, & terminus sunt opposita subiecta: ergo eadem forma relationis non poterit referre fundamentum, & terminum; sed scientia est fundamentum, & scibile terminus: ergo eadem relatio existens in scientia non potest referre scientiam, & scibile quæ sunt opposita inter se.

Vrgetur, vna forma non potest dare alteri sibi 189 oppositæ effectum formalem primum, quem in se continet expresse, & formaliter; v. g. albedo non potest denominare nigredinem albam, nec constituere illam in esse albe formaliter, neque calor potest constituere frigiditatem calidam, & lux tenebras lucidas, hoc enim solum communicat proprio subiecto, in quo est, licet opposito possit communicare alteram denominationem similem, aut dissimilem illi, vt visio non potest communicare obiecto, in quo non est, denominationem primariam quam habet, & continet vt quo, videntis nimirum, licet illi communicet denominationem visitæ; itaque certissimum est, & in hoc sensu loquor formam non posse communicare alteri opposito denominationem primariam, & formalem quam communicat proprio subiecto, in quo est; sed relatio quæ est in scientia opponitur scibili tanquam termino: ergo non potest illi tribuere denominationem, quam præbet scientiæ, in qua est: sed hæc denominatio est relati respectantis, & tendentis per illam: ergo non potest præbere hanc denominationem scibiliter: ergo scibile non refertur per relationem, quæ est in scientia, nec respicit, & tendit per illam, licet denominetur à tali relatione extrinsece in esse terminantis: ergo falsum est dicere, scibile terminare per relationem scientiæ formaliter ipsam relationem scientiæ, quia non solum per illam refertur scientia ad scibile, sed etiam scibile ad scientiam.

Tertio principaliter sic argumentor, quia tota 190 relatio tertij generis est mensurabilis ad mensuram, itavt ratio essentialis fundandi, & quæ nullo modo potest suppleri in hoc genere relationis est mensuratio, specificatio, & dependentia, quam habet mensurabile à mensura, itavt si non detur illa in aliquo subiecto, nullo modo possit dari in illo subiecto relatio tertij generis; sicut relatio secundi generis effectus à causa petit necessario dependentiam illius à causa pro ratione fundandi; sed in mensura respectu mensurabilis nulla datur dependentia, mensuratio, & specificatio respectu mensurabilis; quia licet mensurabile dependeat à mensura, mensuretur ab illa, & specificetur ab ipsa, nihilominus certissimum est, mensuram non specificari à mensurabili, nec dependere, aut posse mensurari.

Quaest IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 777

mensurari ab illo, ac proinde nullo modo est mutua dependentia inter mensurabile, & mensuram, ut exemplis clarissimis patet; scientia enim, & potentia quatenus mensurabiles sunt, specificantur, dependent, & mensurantur ab obiectis, quia dicunt ordinem transcendentalem ad illa; obiecta autem nullo modo specificantur à scientia, quia omnino absolvuntur à tali ordine transcendentali; aliàs si dependerent obiecta à scientijs, & potentijs, idem esset prius, & posterius respectu eiusdem, imò obiecta de primo ad ultimum dependerent à se ipsis, quia quod est causa causæ, est causa causati: sed obiecta sunt causæ specificativæ respectu scientiarum, & potentialium; atqui per vos scientiæ, & potentia sunt etiam causæ ipsorum obiectorum: ergo de primo ad ultimum ipsa obiecta sunt causæ sui, quod est impossibile omnino, unde pro certissimo habendum est, licet scientiæ, & potentia specificentur, dependant, & mensurentur ab obiectis, obiecta autem minime dependere, nec specificari à scientijs, & potentijs.

¹⁹⁰ Ergo mensura nullam dicit relationem ad mensurabile, neque villo modo refertur ad mensurabile, aut respicit illud, sive per relationem in se existentem, sive per relationem, quæ existit in ipso mensurabili: consequentia patet manifeste, quia id quod est incapax rationis fundandi relationem, est etiam incapax relationis, quæ essentialiter petit talem rationem fundandi, quia ratio fundandi est requisitum essentialiale, omnino necessarium ad relationem, sine qua nullo modo potest resultare illa, ideo enim Angelus non est capax filiationis naturalis ad hominem, quia est incapax generationis passivæ respectu eiusdem, & arbor est incapax paternitatis ad hominem, quia impossibile est, quod arbor generet hominem propria generatione, quia talis generatio activa, & passiva sunt rationes fundandi relationes paternitatis, & filiationis; sed mensura est incapax, ut dependeat, specificetur, & mensuretur à mensurabili, sive per eandem dependentiam, & specificationem, per quam ipsum mensurabile dependet, & specificatur à mensura, sive per diversam: ergo mensura incapax est, ut referatur, & respiciatur mensurabile, sive per eandem relationem, per quam mensurabile refertur ad mensuram, sive per distinctam: ergo mensura non terminat relationem scientiæ per relationem, siquidem nullam habet neque per ullam refertur ad scientiam: ergo terminat relationem scientiæ per absolutum.

¹⁹¹ Deinde videtur P. Suarez, nam, & si demus, scibile referri realiter ad scientiam per relationem in ipsa scientia existentem, nihilominus verum est, quod Aristoteles dixit, vnum ex his extremis non referri ad aliud, nisi quia aliud refertur ad ipsum; ergo prius secundum rationem necesse est, intelligere relationem scientiæ terminari ad scibile, quam vicissim scibile referri ad scientiam, cum illud prius sit veluti causa, seu fundamentum huius posterioris: ergo ratio terminandi ex parte scibilis non potest esse illa relatio, qua refertur ad scientiam. Præterea licet terminare actum, ut supra dicebamus, sit denominatio extrinseca, tamen aptitudo terminandi relationem prædicamentalem, non potest esse denominatio extrinseca ab opposito relativo, quia ratio terminandi supponitur in re ante omnem denominationem ab alio extrinseco, nam in ipsa

met denominatione extrinseca includitur actualis terminatio: ergo aptitudo supponitur ad talem denominationem, maxime quando terminus esse debet res realis, & realiter existens; quo circa intelligi nullo modo potest, quod vnum extremum constituatur proxime aptum ad terminandam relationem alterius per ipsammet relationem realem, quæ est in altero extremo, cum omnis relatio prædicamentalis confurgat, præsuppositis fundamento, & termino, non quidem actu terminante: sed apto ad terminandum, nam ut actu terminans non supponitur, sed constituitur ex alterius habitudine ad ipsum.

SUBSECTIO III.

Solutiones Fonseca præcluduntur.

Responder P. Fonseca dicendo, quod quamvis in termino, v. g. in scientia, vel creatore non respondeat nisi relatio rationis, nihilominus relationem scientiæ, aut creaturæ non terminari formaliter, nisi ad suum correlativum ut sic, ac proinde relationem rationis esse rationem terminandi realem.

¹⁹² Sed contra, quia sequeretur quod illa relatio creaturæ, quæ realis est, dependeret à fictione intellectus in suo esse, imò non posset habere esse, nisi dependeret à fictione rationis, quia relatio non potest habere esse, nisi dependeret à termino, sed terminus cum sit ens rationis, non potest habere esse, nisi dependeret à fictione rationis: ergo de primo ad ultimum relatio illa non potest habere esse, nisi dependeret, ut dixi, à fictione rationis: ergo fictio est causa illius relationis creaturæ secundum illud evidens axioma, quod est causa causæ, est causa causati: atqui fictio rationis est causa termini, & terminus est causa relationis: ergo fictio rationis est causa relationis rationis, ex quo evidenter sequitur relationem creaturæ non esse realem: sed rationis, unde erit rationis & non rationis; erit ens rationis, quia habet esse, sicut quodcumque ens rationis, scilicet essentialiter dependens à fictione rationis: sed hæc relatio, ut probavimus, est ita dependens: ergo est rationis, & non ens rationis, quia ab adversarijs dicitur relatio realis: deinde erit realis, ut ipsi supponunt, & non realis, quia ut probavimus est ens rationis, & ens rationis minime est reale.

Vergetur, ens reale est ante omnem fictionem, & operationem intellectus, & ens rationis est post fictionem illius; sed relatio creaturæ est post ens rationis, & post fictionem rationis: ergo relatio creaturæ non est realis, sed rationis; minor hæc sic probatur, quia posito fundamento, & termino, resultat relatio, ita ut positio fundamenti, & termini sint quasi causæ relationis; unde tam fundamentum, quam terminus sunt priora relatione ex ipsorum positione resultante, & illa est posterior naturali termino, & fundamento: sed terminus illius relationis per vos est relatio rationis, ac proinde fictio intellectus: ergo talis relatio est posterior ente rationis, & fictione illius: ergo est ens rationis; sed non est, nisi relatio realis: ergo non est posterior ente rationis necessario: ergo terminus illius non est ens rationis, nec fictio intellectus, sed realis.

Secundo

194 Secundo principaliter sic probatur, quia omnia constitutiva essentialia entis realis, debent esse realia; sed terminus est constitutum essentialis extrinsecum relationis creaturæ: ergo terminus illius debet esse realis, & non rationis. Maior est evidens, quia eo modo est effectus, & principium, sicut est causa, & principium illius, & ideo ens rationis non potest esse causa efficiens, nec materialis, nec formalis entis realis; sed terminus est vera, & propria causa specificativa relationis: ergo ens rationis non potest esse terminus relationis realis creaturæ; ratio autem à priori est, quia omnis causa eo modo quo fuerit causa, tribuit esse effectui, unde si effectus est realis, propria illius causa debet tribuere illi esse reale, sive causa sit intrinseca, sive extrinseca; omnis enim causa quomodocunque sit, causat effectum: sed causare effectum, est dare esse effectui: ergo omnis causa sive sit extrinseca, sive intrinseca dat esse effectui; sed ens rationis nullo modo potest dare esse reale effectui reali: ergo ens rationis nullo modo potest esse causa entis realis, neque extrinseca, neque intrinseca. Minor illa sic probatur, quia omne specificativum essentialis alicuius est constitutum essentialis extrinsecum specificati; sed terminus formalis relationis est specificativus essentialis illius: ergo est constitutum essentialis eiusdem.

Vergetur principaliter, quia omnis relatio opponitur realiter suo termino: sed relatio creaturæ non opponitur realiter enti rationis: ergo relatio creaturæ non habet pro termino formali ens rationis. Maior est certa, quia quatuor sunt genera oppositionum realium, in quas est oppositio relationis cum suo termino: ergo relatio opponitur &c. Ideo enim inter paternitatem divinam, & filiationem datur oppositio realis, quia paternitas terminatur ad filiationem realiter; minor est clara, quia oppositio dependet essentialiter, & necessario ab utroque extremo, ita ut si utrumque extremum non sit reale, non possit oppositio esse realis; reale enim comparatum cum ente rationis est bonum, & ens rationis comparatum cum ente reali est malum, id est imperfectum; sed bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: ergo si utrumque extremum, quod est integra causa oppositionis non fuerit reale, oppositio inter illa non erit realis; contra vero, si quodcunque extremum fuerit ens rationis, tota oppositio erit rationis, ut patet ex axioma proposito: sed terminus per vos relationis est ens rationis: ergo oppositio inter illam relationem, & terminum non erit realis, ac proinde nec ipsa relatio erit realis in esse relationis, quia ipsa in esse relationis est oppositio ad terminum.

Confirmatur secundo inter albedinem realem Petri, & inter albedinem fictam per intellectum in chimæra nulla datur relatio realis similitudinis; unde falso assereret aliquis, si diceret, absolute, ac simpliciter, Petrum albū esse realiter similem chimærae albæ; sed non est alia ratio, nisi quia albedo chimærae, quæ deberet esse terminus relationis realis similitudinis Petri est ens rationis fictum, sicut ipsa chimæra: ergo non potest dari relatio realis ad ens rationis, tanquam terminum formalem.

195 Amplius vergetur, quia licet animal, & Petrus sint verè à parte rei realiter, nihilominus non potest dari relatio superioritatis in animali ad Petrum, quia inferioritas Petri, quæ deberet esse ter-

minus talis relationis est inferioritas rationis ficta per intellectum: nam si Petrus vere, & realiter esset inferior respectu animalis ut sic, animal vere, & realiter diceret relationem superioritatis ad Petrum: ergo pro certo habendū est (etiam si possit dari relatio transcendentalis realis ad ens rationis, ut relatio scientiæ ad obiectum, de quo maxime controversatur apud Doctores) nullo modo posse dari relationem actualem formalem prædicamentalem ad ens rationis, tanquam ad terminum formalem illius, quia terminus relationis prædicamentalis realis actu realiter existentis debet similiter actu realiter existere, quod nullo modo potest convenire enti rationis ficto per intellectum; sed relatio creaturæ est relatio realis, formalis, prædicamentalis: ergo nullo modo potest terminari formaliter ad relationem rationis fictam per intellectum.

Tertio probatur hæc veritas omnibus argumentis quibus supra in præcedentibus, & in præcedentibus metaphysicæ vti sumus ad demonstrandum, nullum ens reale posse terminari ad ens rationis.

Quarto principaliter sic argumentor, quia relatio realis non existit, nisi existentibus fundamento, & termino: sed relatio creaturæ existit, & revera terminatur ad Deum nulla existente in Deo relatione rationis, non solum quia relatio rationis nunquam vere existit, sed etiam quia eo modo, quo esse potest nimirum obiective in intellectu, non est, nec esse illam actu esse, id est considerari ut relatio creaturæ terminetur ad Creatorem, nam etiam si nullus intellectus talem relationem fingat, aut consideret, nihilominus relatio creaturæ vere terminabitur ad Deum.

Dices, in intellectu saltem divino necessario debere existere talem relationem sive ipse illam immediate efficiat, sive cognoscat, ut factibilem suo modo ab intellectu humano.

Sed contra, quia licet hoc verum sit, impertinens maxime est ad rem, de qua agimus, quia licet id sit necessarium ex infinita scientia Dei, tamen per se, ac formaliter id non postulat relatio creaturæ, quia non respicit Deum, ut speculantem relationem rationis (ut ita loquar) sed potius ut influentem esse in ipsam; unde si hoc habeat, sine dubio sufficeret ut talis relatio terminetur ad ipsam, relatio autem rationis ut scita ab intellectu divino, est impertinens.

SUBSECTIO IV.

Aliæ solutiones refutantur.

197 Respondent alij, hoc argumentum convincere de relatione rationis, ut actu existente suo modo, nihilominus tamen ipsam relationem rationis, quatenus est in proxima potentia talis termini esse rationem terminandi relationem realem alterius extremi.

Sed hoc etiam nullius momenti est, ut docet eximius noster Doctor, qui sic ait, interrogo enim, quid intelligant per relationem rationis in potentia proxima? aut enim intelligunt ipsam fundamentum reale, quod præbet occasionem intellectui, ut per modum relativi illud concipiat, lectui, ut per modum fundamentum relationis, quod non tam est verum fundamentum relationis, quam proxima causa, vel occasio inducens humanum intellectum ad talem modum concipiendi;

Quaest. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 779

piendi, & in hoc sensu relatio rationis in potentia proxima non est nisi res absoluta in tali termino existens, ut v. g. in Deo est potentia, qua actu influit in creaturam, & sic de alijs: igitur quod relatio creaturae terminetur ad relationem rationis, ut tantum est in fundamento proximo ex parte Dei, revera est terminari ad aliquid absolutum, quod est in Deo, & minime ad relativum.

Aut per relationem rationis in potentia intelligitur ipsa relatio rationis secundum suum esse essentiae, quale in ea esse, vel potius fingi potest, & hoc sensu improbabili mihi videtur illa responsio; quia illa relatio in tantum esse potest, & in ea fingi potest aliquid esse essentiae, in quantum intellectus, v. g. humanus potest concipere rem absolutam per modum relativam; sed hoc est impertinens, & extrinsecum ad naturam, & essentiam relationis realis creaturae; & ut ipsa terminetur ad suum terminum: ergo non potest esse illa ratio terminandi; quia Deus ut creator non ideo potest terminare relationem realem creaturae, quia potest à nobis concipi per modum correlativi: sed potius quia vere, & realiter influit esse in creaturam per omnipotentiam suam praecipue, quia in alijs terminis reallibus, & in relationibus mutuis non sufficit esse essentiae in ipso termino, ut relatio consurgat, nisi sit redactum ad existentiam, quia alias est potentiale quid, & nihil: ergo multo minus potuit sufficere esse essentiae, vel potentiale relationis rationis, ut sit ratio terminandi relationem realem.

Aliter respondet Fonseca, dicens posse relationem rationis actu convenire, v. g. creatori, etiam si actu non existat suo modo, hoc est obiective, atque hoc satis esse, ut ad illam possit terminari relatio realis, nam hoc ipso quod relatio realis est in creatura, relatio rationis creatoris actu convenit Deo, seu est actu in Deo quoad convenientiam.

Sed haec responsio ut bene docet P. Suarez non est probabilior ceteris, nam in primis id quod asserit, dicendo posse formam actu convenire, quando actu non existit, aut magnam continet equivocationem, aut est plane falsum; Nam actu convenire, si proprie sumatur, est actu inesse eo modo quo forma inesse potest, scilicet aut inhaerendo, aut denominando, aut referendo, vel alia simili ratione; quod autem hoc modo actu convenit, necesse est quod actu existat, eo modo quo existere potest.

Quod si actu convenire solum dicit veritatem propositionis per connexionem extremorum abstractientium ab existentia, illud revera non est actu convenire: sed potius in potentia, & eo modo, quo in illis propositionibus intelligi potest actualis veritas, quam non habent, nisi provt sunt actu in aliquo intellectu, ut supra diximus, & praeterea sumpto hoc modo actu convenire non potest vere dici relatio rationis actu convenire Deo, hoc ipso quod creatura existit, quia ut bene idem author argumentatur lib. 3. met. cap. 15. quaest. 5. sect. 4. talis relatio contingenter, & ab extrinseco convenit Deo etiam post effectum creaturae: at praedicata contingentia non conveniunt actu, nisi quando actu existunt: sed illud est proprium praedicatorum, quae necessario conveniunt subiectis.

Responsio vero, quam adhibet limitando sub-R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sumptam propositionem, & excipiendo has relationes rationis, primum videtur voluntaria, deinde contra rationem; nam seclusa actuali existentia unicuique praedicato proportionata, non potest dici praedicatum actu convenire subiecto, nisi vel quia est de eius essentia, vel certe quia ab illa manat, ut per se necessariam connexionem cum illa habeat; ergo quotiescunque praedicatum non est huiusmodi, sed mere contingens, & ab extrinseca causa proveniens, sive sit praedicatum reale, sive rationis, in nullo vero sensu potest dici actu convenire quando actu non existit.

Confirmatur: nam hoc ipsum, scilicet actu convenire requirit saltem veritatem propositionis; sed haec propositiones sunt falsae, Deus habet relationem, vel actu refertur ad creaturam, quando illa relatio nullo modo actu existit: imo iuxta principia Dialectica tales propositiones non possunt vere abstrahi à tempore cum simpliciter contingentes sint.

Addo denique, etiam si demus totum id, quod in illa responsione sumitur, non satisfacere, quia ille modus actu conveniendi non sufficit ad terminum relationis realis, alias Petrus actu existens posset habere relationem realem identitatis specificae ad Paulum potentia tantum existentem, quia actu convenit Paulo quod sit homo, etiam si non existat, quia ab intrinseco est homo: ergo etiam actu convenit illi relatio realis identitatis specificae cum Petro, etiam si illa relatio actu non existat: ergo è converso, ut relatio realis existat in Petro, satis erit quod alia similis, & fundamentum eius actu conveniat Paulo, licet non existat.

Ex quibus omnibus evidenter colligitur, relationem illam, quae non habet pro termino rem habentem relationem praedicamentalem, ut terminet ipsam non terminari ad respectivum: sed ad absolutum, quia relatio rationis non sufficit ad talem terminationem.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

AD primum argumentum concedo antea-198 dens, & distingo consequens; includit essentialiter in actu secundo mutuum oppositionem, ergo consequentiam; includit essentialiter, id est relationi mutuae debetur ex sua essentia actualis relatio, concedo consequentiam, in hoc sensu, ut quotiescunque dentur duae relationes, debeat resultare inter illas oppositio actualis, & formalis ex natura rei distincta ab ipsis, licet Deus posset adhuc stantibus illis facere, ut non pullularet oppositio inter illas, aut postquam resultavit talis relatio oppositionis, destruere ipsam, quia non identificatur cum ipsis, ut supra diximus, itaque debitum est relationi habenti aliam oppositam, ut v. g. paternitati habenti sibi correspondentem filiationem habere relationem oppositionis, per quam referatur talis relatio paternitatis ad filiationem; si autem tali paternitati non correspondeat alia relatio sibi immediate opposita, non resultabit talis oppositio formalis; quia deficit terminus illius, sine quo nullo modo potest dari relatio oppositionis.

Ex hoc autem, quod paternitas dicat opposi-

E e e e e tionem

tionem ad filiationem, non debet colligi talem paternitatem per seipsam essentialiter, & immediate referri, & terminari ad filiationem, quia oppositio illa non est de essentia talis paternitatis, sed potius distinguitur à paternitate, ut late probatum manet; unde quod recte debet colligi est, ut paternitas referatur mediate ad filiationem, hoc est mediante relatione oppositionis distincta ab ipsa, si autem ipsa paternitas per seipsam esset oppositio formalis, respectu filiationis, sine dubio per seipsam immediate referretur ad filiationem, quod non contingit ex eo quod non per seipsam, sed per aliquid sibi superadditum opponitur paternitas filiationi ut iam diximus.

Quia vero paternitas essentialiter, & per seipsam sine ulla distinctione opponitur esse genito, inde est ut immediate, & per seipsam referatur ad genitum, quæ oppositio vocatur terminativa, à qua nullo modo potest separari paternitas, neque potest dari sine tali oppositione; nam sicut nullo modo potest dari paternitas sine termino genito, ita non potest dari sine oppositione ad illum, quæ est idem, quod ipsa relatio generantis ad genitum, ac proinde est idem quod paternitas formalis, cum autem supra probatum sit, inter relationes aliquas terminari ad absolutum, alias ad relativum, necessario sequitur talem oppositionem terminativam aliquando esse ad absolutum, aliquando ad relativum. Ex quo evidenter convincitur fallacia argumenti adversariorum, qui ex oppositione mediata, & accidentaliter arguebat terminationem, & respicientiam immediatam, & essentialiter, qui modus arguendi multis peccat, ut patet ex dictis, nam ut est evidens axioma Dialcticorum secundum vim præmissarum solum debet erui conclusio, imo nihil debet concludi in consequentia, quod non continetur in præmissis; atqui P. Rubius in antecedenti ponit oppositionem in communi dicendo, ubi datur oppositio, datur respicientia, & terminatio, & in consequentia eruit ergo mutua relatio includit essentialiter mutuam oppositionem, quæ consequentia non est recta, quia particula illa, immediata, & essentialiter, non continetur in præmissis; unde si solum educat in conclusione: ergo datur respicientia, & terminatio in relatione mutua, abstrahendo ab immediata, vel mediata, bene argueret: sed non contra conclusionem, quia in illa solum asserimus, non omnem relationem mutuam ex eo quod mutua sit, terminari immediate, & essentialiter ad relationem quod meo videri sic demonstratur, retorquendo argumentum ipsius; non omnis relatio essentialiter, immediate, & per se opponitur alteri relationi; ergo non omnis relatio respicit, & terminatur essentialiter immediate, & per se, ac per suam entitatem ad relationem. Antecedens supra probatum est, consequentia est evidens; quia eo modo debet esse terminatio, & respicientia, sicut est oppositio; sed non omnis oppositio inter relationes mutuas est immediata, & essentialis: ergo non omnis respicientia, & terminatio relationis mutue immediate, & essentialiter est ad alteram relationem; unde sicut aliquæ relationes immediate opponuntur relationibus, & aliquæ opponuntur absoluto immediate & essentialiter, ita aliquæ terminantur immediate, & essentialiter ad relationem, aliæ autem immediate referuntur ad absolutum; quod nostra sententia duabus conclusionibus supra positis docet.

Ad secundum respondeo primo relationem paternitatis in divinis, v.g. terminari ad originem passivam, & filiationem ad originem activam, & non ad oppositam relationem, non propter distinctionem rationis, quæ reperitur inter relationes, & origines, ut volebat P. Suarez, cuius sententia in hoc mihi non placet; nam cum relationes divine sint reales ab æterno, & ab æterno realiter terminantur, necesse est ut habeant ab æterno à parte rei suos terminos cum omnibus requisitis ad terminationem; unde si distinctio inter relationem, & originem, ut origo terminet, & non relatio, est conditio, seu requisitum necessarium, nullo modo debet esse distinctio rationis, quia illa per accidens, & impertinens est ad relationes divinas, & ad munera, seu functiones illarum, (quod supra contra Fonseca docuit ipsemet Suarez, loquendo de relationibus creatis, quia reales sunt, quod à fortiori videtur in relationibus divinis) tum quia ab æterno non est entitatis actu factum, & quasi productum, quia solum fingitur in tempore à creatura, tum etiam, quia sicut relatio paternitatis non indiget ente rationis ut sit, & ut referat Patrem ad filium, sic non indiget ad sui terminationem, & suum terminum ente rationis; terminatur igitur paternitas divina ad originem passivam immediate, & formaliter, non autem ad filiationem propter distinctionem virtuale, seu quæ per æquivalentiam datur à partem sine ulla fictione intellectus inter relationes, & origines, etiam si originis & relationes formaliter à parte rei non distinguantur, quod exemplo manifestissimo declaratur; Divinitas enim non distinguitur formaliter à parte rei à relatione, seu personalitate filii, & nihilominus secundum nostram fidem propter solam distinctionem virtuale, quæ datur inter ipsas personalitas filii terminatur immediate, & formaliter unionem hypostaticam humanitatis Christi, quæ relatio transcendentalis est quæ non terminatur immediate, & formaliter divinitas: ergo eadem distinctio virtualis sufficit, ut origo passiva terminet immediate, & formaliter relationem paternitatis in Verbo, & non filiationem.

Origo autem tam passiva, quam activa propter distinguuntur à relationibus, sunt quid absolutum; unde sicut in creatis pater refertur ad genitum, & filius ad generantem, ita Verbum divinum respicit Patrem non immediate, & formaliter ut Patrem, sed ut generantem sicut Pater non immediate, & formaliter filium ut filium, sed ut genitum, & sic Pater respicit formaliter eum, quem genuit, & filius eum à quo genitus est.

Quod clarius apparet, ut bene advertit P. Suarez in spiratione passiva respectu activæ; nam Pater, & filius præter spirationem activam habent proprias relationes, quibus in suo esse personali constituuntur; & sic constituti, sunt unum principium spirans Spiritum sanctum, ex qua productione loquendo more nostro resultat in eis relatio spirationis activæ, cui propterea magis proprie attribui potest, quod habet fundamentum, & rationem fundandi, quia neque constituit personam nec fortasse habet propriam subsistentiam, atque ita ibi facile intelligitur, relationem passivæ spirationis, quæ est in Spiritu sancto, terminari non ad relationem spiratoris activi formaliter, sed potius ad primam, & secundam personam.

Quaest. IV. Vtrum relatio terminetur, &c. 781

sonam, ut sunt vnum principium spirans, & produ-
cens per voluntatem Spiritum sanctum, cui no-
stro modo concipiendi advenit relatio spirationis
activae, quia propria, ac formalis ratio, ob quam
Pater, & Filius terminant relationem Spiritus
sancti, non est quia referuntur ad Spiritum san-
ctum, sed quia producent illum, & sunt vnum
principium eius, unde concomitanter habent, ut
ad ipsum referantur; si tamen per impossibile in-
telligeremus non resultare in Patre, & Filio illam
relationem, dummodo producerent Spiritum san-
ctum, id satis esset, ut possent terminare relatio-
nem eius.

Secundo respondeo, relationem Patris termi-
nari ad filium, ut filium, non quia relatio illa est
subsistens, (ut docebat P. Suarez, quia hoc est per
accidens ad rationem referendi, & terminandi, &
materialiter hoc ei provenit ex identificatione
eum divinitate, ut bene notavit P. Rubius in sua
replicam si talis filio non esset increata, &
divina, ac proinde perfectissima substantia, non
esset subsistens) sed quia filius ut filius est termi-
nus productus à patre per generationem: nam
idem est terminus productus per generationem,
ut supra diximus ac terminus, qui respicitur per
paternitatem; in quo est notanda maxima diffe-
rentia, quae reperitur inter Patrem divinum, &
creatum; nam pater creatus non producit filium,
ut filium, quia filio non producit à patre
per generationem, sed resultat per emanationem
à genito in se ipso, & ideo non refertur ad filium,
ut filium, sed solum ad genitum, ut tale; quia ut
sic solum est terminus generationis, & productio-
nis paternae; unde substantia illa genita solum
erit terminus relationis paternitatis resultantis ex
vi generationis; unde si per impossibile filius ut
filius, & filio creata produceretur per genera-
tionem à patre; sicut tunc esset formalissimus
terminus generationis, ita etiam esset terminus
formalis paternitatis resultantis ex vi generatio-
nis; quia idem est terminus unus, ac alterius; sed
Pater aeternus per generationem producit filium
ut filium, quod non producit Pater creatus: ergo
Pater aeternus refertur per paternitatem ad filium
ut filium, ad quem non refertur Pater creatus
propter rationem discriminis inter vtrumque pa-
trem adductam.

Ad ultimum concedo antecedens, & conse-
quentiam distinguo, se respiciunt immediate, for-
maliter, & essentialiter, nego; se respiciunt media-
te, accidentaliter, & per alias relationes sibi su-
peradditas, concedo, ut supra late demonstratum
manet, quibus solum relinquitur argumentum.
Ad ultimum consequentiam respondeo, distin-
guendo consequens illius, ratio realis terminan-
di, &c. si loquatur de ratione immediata, & for-
maliter, nego; de ratione mediata, ut dictum est,
concedo; nam paternitas, v.g. immediata, & for-
maliter terminatur ad absolutum genitum, media-
te autem per oppositionem à se distinctam termi-
natur ad filiationem.

Sed contra nos insurgunt sic adversarii; quia
quodlibet relativum formaliter terminatur ad
suum correlativum: ergo formalis ratio termi-
nandi vnam relationem est relatio opposita cor-
respondens in altero extremo. Consequentia evi-
dens est, & antecedens probatur, quia relativa
sunt simul natura, cognitione, & definitione, ut
constat ex Aristotele cap. de Adaliquid. Sed ni-
hil horum haberent, nisi vnum relativum forma-

liter ad aliud terminaretur: ergo. Probatur minor
quoad primam partem, quia si pater, v.g. ut pa-
ter non terminatur ad filium, ut filius est relatus,
sed ut est hic homo genitus ab illo: ergo pater
ut pater non est simul natura cum filio ut filio,
sed cum hoc homine ut genito: at vero hic ho-
mo prius natura est genitus ab alio, quam ha-
beat relationem filiationis ad ipsum, quia filio
est proprietas resultans in homine genito: ergo
pater ut pater erit prius natura quam sit filius ut
filius. Et confirmatur haec pars, quia relatio ut
relatio, non pendet nisi ex fundamento, & ter-
mino: ergo si formalis terminus non est altera
relatio, per se non pendet ab illa nec requirit il-
lam: ergo ex se est prior natura, quam illa. Simi-
liques argumentum probantur aliae duae partes, quia
relatio perfecte cognoscitur, cognito fundamen-
to, & termino, & aliud non requirit: ergo si ter-
minus unus relationis non est alia relatio, non
pendet una in cognitione ab alia: non ergo simul
necessario cognoscuntur.

SVBSECTIO I.

Præsens difficultas solvitur.

Respondeo, negando relativum necessario
formaliter terminari ad correlativum, ut sic;
quod manifeste constat in relativis non mutuis,
quia ubi non est correlativum, non potest alteru-
rum relativum, & correlativum terminari; inde
vero intelligimus, etiam in mutuis, quamvis rela-
tivum ad correlativum, quod est simul natura cum
ipso terminetur, non tamen formaliter, ita ut re-
lationes ipsae inter se, & ad se tendant; sed una
tendit ad fundamentum alterius, & è converso, ut
declaratum est.

Ad obiectionem de similitudine naturae respon-
deo cum P. Suarez, potius inde inferri opposi-
tum, quia relatio est posterior natura, quam ter-
minus eius, ut in actu primo, seu formali ad ter-
minandum sufficienter constitutus est, quia ex
fundamento, & termino confurgit relatio, ut di-
ximus, imo aliqui auctores putant effectivè fie-
ri à termino; si ergo una relatio esset terminus
alterius, ex positione unus resultaret alia, & ita
non possent esse simul natura; dicuntur ergo si-
mul natura quando mutuae sunt, quia cum re-
sultat una ex fundamento, & termino, resul-
tat alia omnino concomitanter absque ullo
ordine prioris, & posterioris inter se, & hoc
est esse simul natura; fundatur autem haec simul-
tas, non in formali habitudine earum inter
se, sed in necessaria connexionem quam habent
in fundamento, & termino; quia neutra insur-
gere potest, nisi iam positis suo fundamen-
to, & termino, & illis positis ambae statim simul
necessario confurgunt; & alioqui formale funda-
mentum unus est formalis terminus alterius, &
è converso: ex quo fit, ut necessario simul sint,
positis in re fundamento, & termino vtriusque;
nam sunt eadem commutata proportionem, ut ex-
plicui, atque ita tandem efficitur, ut ipsae relatio-
nes necessario simul natura, & duratione confur-
gant; duratione, quia utraque aequali necessitate
resultat ex termino, & fundamento, quam primum
ponuntur; natura, quia nullum inter se habent
ordinem dependentiae, &c. at vero si haec com-
paratio fiat inter vnum relativum, & terminum
eius

Eccc 2

eius in actu secundo seu ut actu terminantem, sic dici possunt simul natura formaliter secundum aliquos; secundum probabiliorem autem opinionem terminus ut sic posterior natura est relatione, quia ut supra dictum est, terminus ut sic terminans formaliter, constituitur per extrinsecam denominationem à relatione, quæ in illum tendit: unde illa posita, sic denominatur, & illa ablata, desinit esse hoc modo terminus, nihil intrinsecum amittendo, ut per se notum est.

Unde in forma nego sequelam, nimirum, patrem ut patrem non esse simul natura cum filio, ut filius est, sed ut est hic homo genitus, imo sicut hic homo, ut genitus est prius natura, quam ut filius, ita etiam est prius natura quam pater ut pater, quamvis sit posterius natura, quam hic homo, ut generans, & ideo quamvis pater ut sic terminetur ad hunc hominem, ut à se genitum, nihilominus non prius natura terminatur ad ipsum quam in ipso sit filiatio, non propter terminationem formalem ad ipsam filiationem, sed propter simultaneam concomitantiam omnino necessariam, ut declaratum est; quapropter licet hic homo, ut genitus sit prius natura quam ut filius, tamen in illo priori ut sic nondum intelligitur in patre paternitas, imo verissime etiam dicitur prius natura esse hunc hominem ut genitum, quam in patre sit paternitas: nam ex positione unius termini cum fundamento quod est in generante, resultat paternitas.

Ad confirmationem concedo formaliter loquendo unam relationem non pendere ab alia, nego tamen inde sequi non esse simul natura naturaliter loquendo, propter rationes dictas, nam potius si proprie ac formaliter una ab alia penderet, non posset non esse una prior natura alia; quia ipsamet dependentia est quædam posterioritas naturæ; quia vero habent necessariam concomitantiam absque ullo ordine inter se, ideo sunt simul natura.

Ex hoc præterea constat, quid dicendum sit de similitudine cognitionis; nam eadem propositione dicendum est formaliter, & immediate relationem non pendere in cognitione nisi à suo termino, (sive sit relatio talis terminus, sive sit absolutum, ut prima, & secunda conclusio explicuimus) secundum propriam rationem terminandi, & non secundum aliam relationem simul natura cum ipsa resultantem in termino huius, ut late diximus supra.

SVBSECTIO II.

Argumenta secunda sententiæ solvuntur.

AD primum respondeo non esse contra nos, sed potius pro secunda nostra conclusione, ubi asserimus, relationem mutuam non terminari ad aliam simul natura cum ipsa, sed ad fundamentum illius; v.g. paternitas non terminatur ad filiationem immediate, formaliter, & per se, sed ad genitum, terminatur autem ad filiationem, media oppositione resultante in ipsa paternitate; unde si relatio oppositionis immediate, & formaliter terminatur ad filiationem, & sic inter relationes mutuas paternitas terminatur ad absolutum, & non ad relativum ut asserit nostra secunda conclusio, & oppositio ad relativum & non ad absolutum, ut docet prima conclusio nostra; cum hoc

tamen stat, ut nulla relatio mutua terminetur ad aliam quæ sit simul natura secum; quia terminus semper est prius natura quam relatio, quæ ad illum terminatur, & sic argumentum P. Suarez nihil contra nos habet, sed potius absolute nostræ sententiæ favet.

Ad secundum argumentum respondeo, neque in quantum relationem ut sic, neque in quantum relationem mutuam ut sic petere relationem terminari ad relativum, sed potius in quantum talis relatio mutua est ex vi differentie illius propter rationes positas in prima conclusione, videantur ibi latissime posite.

Ad tertium distinguo sequelam, sequeretur non posse unum cognosci, aut definiti, nisi per alterum, quod fuerit prius natura, quam ipsum, & à quo specificatur, & ad quod tendit formaliter, concedo; quod fuerit simul natura cum ipso, eo modo quo filius ut filius est simul natura cum Patre, ut Patre, nego, propter rationes supra longe lateque positas in probatione nostræ conclusionis; neque ex eo quod unum relativum dependeat in sui cognitione, & definitione ab altero relativo non posterius natura, nec simul secum, sed potius prius natura quam ipsum, sequuntur absurda de circulo vitioso, nugatione & cæteris, quæ erueri intendebant adversarij, & quæ sine dubio sequerentur, si tale relativum dependeret in sui cognitione ab altero relativo simul natura secum, & definiretur per ipsum ut patet ex ijs, quæ supra diximus sect. 3. subsect. 7. pro secunda conclusione, agendo de autoritate Aristotelis, videantur ibi dicta quibus sciens, & prudens super sedeo, ne cum fastidio Lectoris actum agamus.

SVBSECTIO ULTIMA.

Argumenta tertia sententiæ solvuntur.

AD Caeteranum nego Aristotelem protulisse verba quæ pro se asserit, alia enim protulit Philosophus, quæ nobis favent, & ipsi adversantur, & sic se habent, ut mensurabile, & scibile, & intelligibile ideo dicuntur ad aliquid, quia aliud ad ipsa dicitur; nam intelligibile significat, quod in eo versetur intellectus; quæ verba nihil aliud denotant secundum communem sensum Doctorum; ideo intelligibile, visibile, scibile, &c. pertinere ad prædicamentum Ad aliquid, & poni in ipso, non quia sint ipsa formaliter ad aliquid, seu relativa, sed potius quia sunt termini relationum tertij generis, sine quibus nullo modo, aut essent, aut intelligerentur tales relationes, quia relatio essentialiter petit terminum sine quo, neque esse, neque intelligi potest, & hoc sonant illa Verba, scibile, & intelligibile; ideo dicuntur ad aliquid, id est ideo pertinent ad prædicamentum relati-onis, quia aliud ad ipsa dicitur, id est quia ipsa terminant relationes aliorum: ex quo non debet colligi, ut male arguit Caeteranus, scibile, intelligibile, visibile, &c. esse relativa, & ad aliquid formaliter constituique in esse talium non per relationes, quæ sint in ipsis, sed per relationes, quæ sunt extra ipsa, & existunt, seu inhaerent intrinsece in scientia, intellectu, & visu, quia hoc est impossibile, ut supra late demonstravimus; nam relatio non denominatur relatum, neque constituitur respiciens, nisi existendo intrinsece in subiecto, ut de se patet.

QUESTIO